Bithyniam virum conſularem miſerint, ad ſenem, & exulem depoſcendum. Sed credibile eſt, Romanos non tam ob id Hannibalem ſublatum voluiſſe, quia in præſentia formidabilis eſſet, quàm quòd de Carthagine evertenda conſilium Senatus agitare cœpiſſet, ne ſuis extremis rebus Carthaginenſes illius opera uti poſſent, novumque molirentur bellum, aut illatum propulſarent, atque ita de eo magis cautè quàm fortiter ſtatuerint. *Sab.l.7.Enn.3.*

Occasionem Vindictæ Ereptam Dolendo.

Tiberius cùm intellexiſſet, Carnulejum, in quem pro ſua crudelitate tormentis graſſari decreverat, mortem anticipaſſe ira, atque indignatione percitus exclamavit : Carnulejus evaſit. *Suet.*

Mahumetem II. Turcarum tyrannum ajunt, ad nuncium Joan. Corvini mortis (cujus fortitudine ad Albam Græcam repulſus fuerat) confeſtim oculos humi defixiſſe, & ſolutum in lachrymas dixiſſe : Nemini unquam à mundi principio æquè ac ſibi indolendum, cui tantam ex accepta clade turpitudinem ampliùs ulciſci non liceret. *Bonfin.l.8. Dec.3.*

Exequendo Ratione Habita.

Rei. Ulciſci alios.

Per Apoſtaſiam.

Uto Vandalorum (qui & Vvinuli, & Sclavi dicuntur) Princeps, à quodam Saxonum transfuga interfectus erat. Filius ejus Godeſcalcus, apud Luneborch, monaſterium Ducis, liberalibus erudiebatur ſtudiis, Godeſcalco Gothorum Epiſcopo ejuſdem cœnobii curam agente. Is comperta morte parentis, ita furore commotus eſt, ut rejectis cum fide literis arma corriperet, Albique tranſmiſſo, Vvinulis ſe Dei inimicis conjungeret : quorum fretus auxilio, Chriſtianos impugnans, multa millia Saxonum in patris proſtravit poteſtatem. Hunc tandem quaſi latronum principem Bernardus Dux Saxoniæ capiens, in cuſtodia tenuit, virum arbitratus futurum fortiſſimum, juncto ſecum fœdere dimiſit. Qui mox ad Canutum Danorum regem profectus in Angliam, ibi manſit multo tempore. Reverſus in patriam, Chriſtianiſmum recepit tanto fervore, ut inter ſacra cum ſacerdote fuerit ab impiis trucidatus. *Crantz.l.4.Metrop.c.11.*

Benardus Saxoniæ Dux Miſtivojo Vandalorum principi cognatam, ſeu ſororem ſuam deſponderat. At Theodoricus Marchio Brandeburgenſis indignum aſſerens, nobilem puellam cani elocari, nuptias turbavit. Cùm Miſtivojus : Ergo ſi canes ſumus, rebiem exercebimus, inquit, adeòque defectione inita, crudelem perſecutionem in pios inſtituit. Hamburgum excidit, Marchionem expulit : nec niſi Henrici II. auxiliaribus copiis, à Bernardo vinci potuit. *Crantz.l.4.c.34.Saxon.Hiſtor. hæc infrà fuſius adducitur.*

Defectione, Proditione, Deſertione.

Harpagus Medus Cyro exercitum prodidit, ut Aſtyagem filii carnificem (quem is ſibi comedendum propoſuerat) ulciſceretur. *Herod.l.1.*

Alcibiades audito, ſe cum ſociis rei capitalis condemnatum : At oſtendemus, inquit, eis, nos vivere : conferenſque ſe ad Lacedæmones, bellum Athenienſibus Dicelicum conflavit. *Plut.in Apopht.*

Veneti, Cigalli Oceani accolæ, primi omnium Apennino ſuperato, Cluſium Tuſcorum urbem oppugnare ſunt adorti. Fama eſt, eam gentem à Cluſino Arunte ad id bellum allectam. Is Lucumoni iratus, quòd uxorem ſuam corrupiſſet, eam injuriam, cùm in adoleſcentem opibus præpotentem ulciſci non poſſet, ad Gallorum opes confugit : quos ut facilius ad id bellum concitaret, fruges indigenas Hetruriæ ſecum attulit vinum id fuiſſe ferunt, & aridas ficus. *Sab.l.2.En.4.*

Ita univerſum Pop. Romani equitatum à Fabio Conſule ad hoſtium copias perſequendas miſſum, cùm tutò, & facilè eas liceret delere, legis Agrariæ ab eo impeditæ memorem immobilem retinuit. *Val.Max.l.9.c.3.*

Ita Populum Roman. Appio Claudio duci (cujus pater dum pro Senatus amplitudine nititur, commoda plebis acerrimè impugnaverat) infenſum exercitum faciendo, voluntaria fuga terga hoſtis, ne triumphum imperatori quæreret, dari coegit. *Ibid.*

Cùm per noctem occupato Capitolio ab Appio Herdonio quatuor Samnitium millibus, Conſules Val. Poplicola, & C. Claudius populum ad recipiendam arcem vocaſſent : Pop. Romanus patriam perpeti à latronibus diripi, atque incendi, quàm patriciis morem gerere maluit : neque antè de ſententia deduci potuit, quam petitam legem Senatus conceſſit. *Fulg.lib.9.c.3.*

Maximus Senator Rom. Valentiniano III. perſuaſit, uti Ætium Patricium, imperii columen, tyrannidis ſuſpectum ingularet. Eo ſublato, ipſe Valentinianum interfecit, & tyrannidis ſtabiliendæ gratia Imperatricem viduam Eudoxiam, Theodoſii junioris Imperatoris filiam, ſibi copulavit. Illa in ultionem mariti, Genſericum Vandalorum Regem ex Africa accerſivit matrimonio. Maximo à ſuis occiſo, adſunt Vandali, & Romam diripiunt, Eudoxiam abducunt cum duabus filiabus, quarum natu majorem Hunerico filio Genſericus in matrimonium dedit. *Evagr.lib.2.cap.2. P. Diaconus, Zonaras.*

Otho II. Imp. convivio Romæ in Vaticano Principes & Legatos Italicarum civitatum, quæ defecerant, excepit, ac intromiſſis armatorum catervis, de ſeditioſis, reliquis ſpectantibus ſupplicium ſumpſit. At paulò poſt, cum ad Baſentellum, Calabriæ oppidum, contra Græcos, & Saracenos prælium eſſet commiſſurus, Romani, & Beneventani certamen de ſumma rerum imminere videntes, ſtatim à ſignis receſſerunt, atque Othonem valido præſidio, nec opinantem nudarunt. Ita exercitus ejus ancipiti torrore perculſus, inſtantibus hoſtibus facilè non ſolùm fuſus, fugatuſque, ſed etiam fœdiſſima ſtrage conciſus eſt. Ipſe ex prælio trepidus vix incolumis ad mare profugit, & cùm ſe naviculæ commiſiſſet, metu piratarum in mare exiliens natatu ſibi conſuluit. Addit Sigebertus, ipſum, cùm natando evadere vellet, à prædonibus quinam eſſet, ignorantibus, captum : Theophaniam verò uxorem, & Theodoricum Epiſcopum Metenſem, qui Roſſani conſederant, prælii exitum expectantes, ſimul Othonem captum à piratis audiverunt, ingentem ad eos pecuniam redimendi cauſa miſiſſe. Cui dum illi avidiùs inhiantes Othonem parum attentè obſervarent, ipſum perniciſſimo equo oblato ex eorum conſpectu repentè abreptum. Satis inter omnes conſtat, hanc cladem tantam fuiſſe, ut ſi Græci protinùs inde Romam exercitum adduxiſſent, ipſam haud magno admodum negotio in poteſtatem fuerint adducturi. *Sigon. lib.7. Regni Italici.*

Conradus Dux Glogovienſis bellum adversùs Henricum Legnicienſem animo verſabat, ob interverſum Vratislavienſem dominatum. At cùm imparem ſe illi, eſſe viribus intelligeret, incautum dolis circumvenire ſtudebat. Luticum unum de familiaribus, & conſiliariis Henrici gente Habdancum, donis & promiſſis ad proditionem heri induxit. Erat hic Luticus in intimis Henrici : & magnis ab eo beneficiis affectus : ſed patrem ejus Pacoſlaum, gratia, & favore Principis inſoleſcentem, Henricus capite plecti juſſerat, quòd is homicidii reus crimen, fruſtrà diſſuadente judice, gloriabundus fateretur. Lenierat tamen eum Lutici dolorem Henricus poſteà, collatis in eum plurimis, & magnis beneficiis. At cùm faces Lutici animo ſubderet Conradus, effecit, ut plus apud eum valeret vetus dolor, quàm tot recentia beneficia. Fortè in balneo ad Odram, haud longè ab arce Uratislavienſi, corpus curabat Henricus. Advolat eò Luticus cum armatis. Henricumque nil tale ſuſpicantem, nudum è balneo extrahit, & vili palliolo tectum, atque equo impoſitum, continuato nocte, dieque curſu, Sanvoithum, quod in ditione Conradi era, aſportat. Inde victus Glogoviam perductus, in anguſtum vas ferreum concluditur : in eo duo erant parva foramina, alterum quo cibum ſumeret, alterum quo alvum purgaret. In eo ſex totos menſes aſſervatus, neque ſedere, neque jacere potuit. Ad extremum eò redactus eſt, ut jam tabeſcente corpore, ſanies, & vermes de ſcapulis, & femoribus ejus ſcaturirent. His malis victus tandem duriſſimis conditionibus à Conrado dimittitur. *Crom.l.10.*

Ferdinandus Magallanus, Luſitanus vir nobilis, magno animo præditus, in India bellicis in rebus non mediocre virtutis, & induſtriæ documentum dederat. In Africa ſimiliter viri valdè ſtrenui officio functus fuerat. Is pro meritis ſuis contenderat, ut congiarium regium dimidio nummi aurei ſingulis menſibus augeretur. Rex, ne aditum ambitioſis aperiret, id denegavit. Magallanus offenſione hujus beneficii ſibi eo tempore denegari commotus, à Rege deſcivit, cùm prius publico teſtimonio fidem & Regi, & patriæ debitam abjuraſſet : & ſe continuò ad Carolum contulit, eumque admonuit, inſulas,

quas Molucas appellant, quæ ſunt ultra auream Cherſoneſum conſtitutæ, ad limites Caſtellæ pertinere, & ab Emmanuele Rege contra pactionem jam factam uſurpari. Ducebat autem ſecum Rodericum Falerium, qui ſe Aſtrologiæ diſciplinam tenere profitebatur, ut eandem opinionem in animo Caroli altiùs imprimeret. Carolus ab Hiſpaniæ proceribus perſuaſus, ne illius affinitatis obtentu imperium amplificare negligeret, naves Magallano, quibus aliam viam in Orientem aperiret, attribuit. Itaque Magallanus, & Falerius Hiſpalim contendunt. At Falerium jam facinoris ſuſcepti pœnitebat, & intra paucos dies mœſtitia confectus, mortem obiit. Magallanus, cum quinque navium claſſe, & cum ſuprema necis, atque vitæ in reliquos navarchos poteſtate, anno 1520. 19. die Auguſti ſolvit, ut terras, atque regiones, quas neque viderat, neque ab aliis exploratas audierat, ſed ſuſpicione tantùm eas adiri poſſe conſequutus fuerat, perluſtraret. *Oſor. l.11. Rerum Emmanuelis.*

Idololatria, Impietate.

Mediolanenſis quidam, inimicum ulturus, quem in manu habebat, pugione faucibus admoto, ſe jugulaturum eſſe minatus eum, renunciaret Deo, ad renunciandum compulit : nec ſemel feciſſe contentus, renuntiare juſſit ex animo, idemque ſæpiùs repetere. Quo facto, eum jugulavit, dicens : Sic de corpore ſimul, animoque vindictam ſumpſi. *Bodinus.*

Lugduni Curates S.Joan. minoris vivus crematus eſt anno 1540. eo quòd dixiſſet, ſe in Miſſa non conſecrare, nec conficere verum Chriſti corpus, ut damnationi parochos ſuos ſubiiceret, non Deum pro Deo adorantes : quia ſibi (ut ajebat) lis cum ipſis erat. Sed juſtam miſeri popelli ignorantiam excuſatam habuit Deus. *Bodinus.*

Cæde horrenda, miſerabili.

☞ *Conſule Tit. Aſtus in vitæ inſidiis.*

Hetruſci feroces in pœna excogitanda, virorum corpora cadaveribus adverſa adverſis alligata, atque conſtricta, ita ut ſingulæ membrorum partes ſingulis eſſent accommodatæ, tabeſcere ſimul patiebant, amari vitæ pariter, ac mortis tortores. *Val. lib.9.cap.2.* Hoc Mezentio Rutulorum regi tribuit Maro.

Morem fuiſſe Scythis perveterem, ſcribit Plinius, ſagittarum aciem tingere viperina ſanie, & humano ſanguine, irremediabili ſcelere. Nam mortem illico affert, etiam levi tactu. Obſervabant autem Scythæ viperas (ut teſtatur. *Ariſt. in Admirabilium relatione*) ubi jam peperiſſent, ſic enim captas diebus aliquot liqueſcere ſinebant : mox ubi computruiſſe viderentur ſatis, in ollam ſanguinem hominis unius totum infundebant, adobruebantque in ſterquilinio, vaſe diligenter obturato : ubi verò & hic contabuerat, eximebant, ſumenteſque, quod ſupernataſſet jam aquoſum, ſanieique viperinæ permiſcentes, ita lethale conficiebant venenum. *Cælius lib.23.cap.10. Antiq. Lect.*

Jason Theſſalus, Æſonis filius, Corinthum veniens, cùm adduceret etiam Medeam, Ætæ Regis filiam, cujus ope ex Colchis aureum vellus in Græciam ablatum portaverat : poſt oblitus omnium beneficiorum, eam repudiavit : & fide data Creontis Corinthiorum regis filiam Glaucen in uxorem duxit. Medea à Creonte è terra Corinthiaca excedere juſſa, ſupplex facta, cùm Jaſoni, tum Creonti, ſimulans ſe oblitam omnium injuriarum, ad unum diem, ut adhuc manendi poteſtas ſibi daretur obſecravit. Id adepta, gratitudinis ergo Glaucæ novæ nuptæ mittit per liberos, veſtes artificioſiſſimè paratas, & coronam auream. Eam cùm capiti ſuo Glauca impoſuiſſet, & veſtes induiſſet : veneno, quod Medea in iis abſconderat, circumventa, concidit. Creon, dum filiæ conatur ſuccurrere, in ampexu filiæ extinctus eſt. Interfectis quoque, quos cum Jaſone habuit liberis, curru draconum alatorum ſublata, transfugit è Corinthio Athenas, ubi nupſit Ægo Pandionis filio. *Euripid. in Medea.*

Auctor Eutropius eſt, Superbum Tarquinium excogitaſſe primum vincula, taureas, fuſtes, compedes, latomias, metalla. *Cæl.l.10.c.4.Antiq.Lect.*

Ameſtris Xerzis uxor, uxorem Maſiſtæ, Bactrianorum præſidis, excarnificavit. Ejus mamillas præcidit, quas objecit canibus. Item nares, aures, labra, linguam inhoneſtiſſimis deformavit plagis. *Plut.in Artaxerxe.*

Cyri junioris interfectores magnis à rege Artaxerxe victore muneribus affectos, Paryſatis amborum mater alios alia fraude aggreſſa, exquiſitiſſimis poſteà ſuppliciis necavit. Carem, qui poplitem percuſſerat, decem dies variis cruciatibus affectum, mox effoſſis luminibus, æreque liquefacto auribus infuſo, necari juſſit : Metrodotem (is enim primus circa oculum vulnus inflixit) duabus clauſit ſcaphis, ita compactis, ut caput, & crura duntaxat extarent : ad Solem inde obvolutum melle cibari juſſit, & lacte, ut invitus etiam comeſſe, potareque cogeretur ; fiebat eò muſcarum concurſus ingens, earumque examina, ora, oculos & crura inceſsere : hæ enim partes extabant, erantque eiſdem liquoribus delibutæ : excrementa corporis, utpotè ex dulci materia, ſcaphis excepta vermes procreabant, quibus veſtes primò, mox corpus ita eſt corroſum, ut nuda oſſa, cum ſtupore ſpectantium cernerentur. Atque ita Metrodotes decimo die miſerabili cruciatu periit. Noviſſimè Meſebatem Eunuchum, qui jacenti Cyro caput, & manum recidit, in ſuam poteſtatem redactum, pelle enudari juſſit, ipſumque tribus palis affixum evaricari fecit. Atque per hæc percuſſorum ſupplicia Cyri manes evagati, poſtremò quievere. *Sab.lib.9.Enn.3.ex Plut.*

Ochus, qui poſteà Darius appellatus eſt, ſanctiſſimo Perſis jurejurando obſtrictus, ne quem ex conjuratione, quæ ſeptem Magos cum eo oppreſſerat, aut veneno, aut ferro, aut ulla vi, aut alimentorum inopia necaret : crudeliorem mortis rationem excogitavit, quæ hos junctos ſibi, non perpetuo vinculo religionis, tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere complevit : ſuppoſitoque tigno prominente, benignè cibo, & potione exceptos in eo collocavit : è quo ſomno ſopiti, in illam inſidioſam congeriem deciderunt. *Val.lib.9.cap.2.*

Locrenſes, crudelem Dionyſii libidinem ulciſcentes, ſublato per Dionem ejus regno, uxorem Dionyſii unà cum filiis non tantùm proſtituerunt, ſed poſt expletam etiam libidinem, compunctas acubus intra digitorum ungues, interemerunt : oſſa in mortariis contuſa in mare projecerunt, carnes ab oſſibus abſtractas ſi quis non comediſſet, cum diris devoverunt. *Ælian. lib.9.de Var. hiſt.& Athenæus l.12.c.19. & Strab.lib.6.*

Inter multa crudelitatis Phalaridis Agrigentinorum tyranni exempla celebratur in primis æneus ille taurus Perilli, ſive Perilai (nam ſic appellat Lucianus) inventum : quo ſubiecto igni mortales vivi ſic exurebantur, ut pro ejulatu humano mugitum ederent morientes. Eum taurum, exuſto primùm in eodem artifice, Delphos miſiſſe legitur, ut Phœbo dicatus, in ejus templo reponeretur, monimentum futurum ſimul, & artis exquiſitiſſimæ, & inventi crudeliſſimi, & pœnæ meritò in auctorem retortæ. Verùm Delphi munus ut à tyranno miſſum repudiarunt. *Eraſm.in Adag.*

L. Catilina M. Mario Gratiano, qui ter Tribunus plebis, & bis Prætor fuerat (ut T.Cicero in Parænesi ad fratrem Marcum ſcribit) primùm brachia, & crura fregit, aures deinde, linguam, & naſum præſecuit, oculos effodit, poſtremò capite truncavit. *L.Vives in l.7.Aug.de Civ.Dei,c.2.*

Tiberius Imp. mortem filii Druſi veneno interfecti crudeliſſ. ultus fuit. Carnificinæ ejus oſtenditur locus Capreis, unde damnatos, poſt longa, & exquiſita tormenta, præcipitari coram ſe in mare jubebat : excipiente claſſiariorum manu, & contis atque remis elidente cadavera, ne cui reſidui ſpiritus quicquam ineſſet. Excogitaverat inter genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repentè veretris deligatis, fidicularum ſimul urinæque tormento diſtenderet. *Sueton.*

Opilius Macrinus Imp. Tribunum, qui excubias deſeri paſſus erat, carpento rotali ſuperadnexum per totum iter vivum, atque exanimem traxit. *Jul. Capitolinus.*

Cùm quidam milites ancillæ hoſpitis pudorem depravaſſe ſuſpecti eſſent, atque per quendam frumentarium idem Macrinus id didiciſſet : adduci eos juſſit, interrogavitque utrùm eſſet factum. Quod cùm conſtitiſſet, duos boves miræ magnitudinis vivos ſubitò aperiri juſſit, atque his ſingulos milites inſeri, capitibus, ut ſecum colloqui poſſent, exertis. *Jul. Capitolinus.*

Turſinem Zelebi agentem menſem 18. Moyſes Baſſa, jubente, & immotis oculis atrocitatem facinoris inſpectante Mahomete Sultano fratre, multa vi aquæ obrutum ſuffocavit. Hanc immanitatem cùm pueri Mater horribili ululatu, planctuque deteſtata eſſet, Baſſæ cor cultro transfixit, & rimata in diſſecto cadavere hepar, id inde extractum canibus laniandum obiecit. *H. Henninges in Geneal. Othomanicæ famil.*

HENRICUS VI. Alemmaniæ Rex, occupata Sicilia, quorundam incolarum inſidiis eſt appetitus. Deprehenſos variis modis miſerabiliter interfecit: Alium ferventi aqua excoctum, in caniſtro pro miſſu ad ſuos remiſit: alium in ingentem rogum conjecit, alium culeo inſutum in mare demerſit. Factionis principi æneam coronam quatuor clavis capiti adfixit. *Nicetas l.1. Crantz. l.7. Metrop. c.17. & l.7. Saxon. c.9.* Jordanum appellat inſidiatorem, & reginæ amatorem, & in ænea ſede candente locatum, æneam coronam candentem clavis capiti affixam geſtaſſe.

VENCESLAUS Imp. Boemorum Rex, ſub arce Vicegradenſi in ripa Vultaviæ balneum extruxit (nam ſæpiſſimè balneis utebatur) in quo tabulæ pavimenti certa ſui parte ita leviter coagmentatæ erant, ut vel uno pede proculcatæ facilè laxarentur. Si quos igitur perdere vellet, per hanc ruinam præcipites in flumen dabat. *Dubr. l.23.*

Genuenſes (quo tempore urbs eorum civilibus armis inter Guelfos Gibellinoſque diviſa contendebat, & Guelfi rerum potiebantur) ſeptem viros, qui Pharεam turrim totam penè à fundamentis ſubverſam Gibellinis dediderant, ab urbe ceu ſaxa, per hæc tormenta, quibus ſub Manganorum nomine prior ætas utebatur, in hoſtes emiſerunt. *Fulg. l.2. c.2.*

Cædis cariſſimorum conſpectu.

☞ *Vide Tit. Crudelitatis erga Hoſtium liberos, uxores, arces.*

VIRGILIUS, ubi inducit Priamum execrantem Neoptolemum ob atrox ejus, immiteque factum, non accuſat hoſtem, quòd filium necarit, ſed quòd antè oculos ſuos eum obtruncarit, contemeraveritque aſpectum patrium cæde filii. Neque enim major ullus dolor patri inuri poteſt, quàm ſpectante ipſo filium necare: multò namque magis homines movent, quæ fieri vident, quàm quæ facta audiunt. Hoc etiam narrat, feciſſe Cardianos in oratione contra Ariſtocratem, Demoſthenes, cùm Myltocythem Thracem, amicum Athenienſium, proditum Charidemo, cum filio, ab ipſo, ut pœna afficerent, accepiſſent: auget enim crudelitatem Cardianorum πάθος que movet, docens eos non tantùm ambos interfeciſſe, ſed nato ante oculos patris in navicula jugulato, patrem poſteà in mare abieciſſe: atque ita & voluntati Charidemi ſatisfeciſſe, & animum ſuum impleſſe, quòd eum, qui favebat rebus Athenienſium, quos ipſi malè oderant, crudelem in modum interemiſſent. *Vict. l.1. Var. lect. c.7.*

CLEOMENES Rex Laconum cum ſociis, cùm fruſtra magno facinore Alexandriæ tentato, deſtituti jam ob omni ſpe ſponte occubuiſſent: mandato regis Ptolemæi, à militibus Strateſiclea Cleomenis uxor, cùm filiis, ac reliquæ Spartanæ mulieres captæ ad ſupplicium ducebantur. Generoſæ autem ſtirpis femina ſatis conſtanter acerbum illum caſum tuliſſe tradita eſt, tantùmque petiiſſe, ut ante filios interficerent. Cùm tamen ad locum muneribus illis deſtinatum venerunt, miniſtri regii, ſpretis precibus ipſius, primùm liberos ſpectante matre necarunt, ſtatimque ipſam interfecerunt, quam ſolùm in tanta acerbitate commemorat Plutarchus converſis oculis ad natos dixiſſe, ὦ τέκνα ποῖ ἐμόλετε. *Victorinus lib.1. Var. lect. cap.8.*

Cæde inſontum.

Seditione inter pecuarios Scythas orta, manus ingens eorum patrio ſolo pulſa, in Mediam conceſſit. Receptis benignè Cyaxares Rex Medicos pueros arcu, & ſermone inſtituendos tradidit. Interjecto deinde tempore, cùm Scythæ aſſiduè venatum irent, ac ferè ſemper aliquid afferrent, contigit tamen quandoque, ut nihil domum tulerint. Hos intuitus Cyaxares, multis eos probris inſectatus eſt. Quam illi contumeliam non ferendam rati, ex pueris, quos inſtituebant, unum trucidatum, in diſſectæ feræ ſpeciem regi obtulerunt, celerique deinde fuga in Lydiam ad Alyattem perfugerunt. *Sab. lib.4. Ennead.2.*

CÆSO C. Graccho in ſeditione Agraria, necaverunt Rom. minorem Fulvii filium, qui non arma contrà tulerat, neque in cœtu fuerat præliantium: ſed ad pacificandum venientem ante pugnam corripuerunt, & poſt pugnam occiderunt. *Plut. in Cato.*

Tibicen quidam Hammelæ ad eliciendos glires conductus, ſequenti rependit facinore ingratitudinem, cùm illi ex pacto non ſatisfieret. Nam anno milleſimo ducenteſimo octogeſimoquarto, die viceſimoſexto Junii, hunc tibicinem, Omnicolorem nuncupatum, ob veſtis varietatem, centum, & triginta pueri Hammelæ nati ſequuti ſunt, & Calvariæ ſub monte Koppen dicto perierunt. Unus ſuperſtes relictus narravit, En dæmonem tibicinem ſanguinarium. *Jon. Vierus.*

Humanis epulis.

☞ *Si Ingluviem ſpectes, ad locum Intemperantiæ alimentaris pertinent. Si Vindictam, ex Tit. Crudelitatis erga hoſtes huc quædam accommodari poterunt. Sin ipſam Immanitatem converſationis, ad Popularitatis defectum releganda erunt.*

Tributorum impoſitione.

☞ *Vide Tit. Crudelitatis erga hoſtes, infrà.*

Ignominia qualibetcunque.

Danus Rex, victis Norvegiis Canem dedit in regem. ☞ *Vide Tit. Crudelitatis erga hoſtes.*

Accuſatione falſa.

Maleficus quidam in Sabaudia ſenem vicinum, quòd arborem ſuam incidiſſet, hunc in modum ultus eſt. Senis concubinæ inſanum quendam amorem immiſit in illius filium. Quæ cùm adoleſcentis animum pellicere non poſſet, eum ultrò apud patrem detulit, quòd ſe de ſtupro non deſineret interpellare. Pater perſuaſus à muliere, filium è tecto præcipitem dedit, ac interemit. Deinde facti pœnitens, ſemetipſum laqueo præfocavit. Poſtremò mulier in puteum ſe abjecit. *Gilb. Cognatus l.8. Narrationum.*

Modum. Ulciſci alium
Dignitatis ſuæ neglectu.

Cùm Lucretius Offella conſulatum à Sylla dictatore peteret, quòd ipſius opera Sylla urbem Præneſte cepiſſet, atque juniorem Marium evertiſſet: Sylla autem nutu conſulatum negaret, neque ob id Offella rogare deſineret: Sylla, qui in foro deambulabat, manu ſua eum interemit, atroxque facinus graviore verborum atrocitate auxit, cùm populo, qui in concionem venerat, aratoris fabulam narraret. *Fulg. l.9. c.5.*

AGUSTUS Juliæ filiæ ſtupratorem præter ſuam majeſtatem ſuis ipſe manibus pulſavit. *Suet.*

TIBERIUS Imp. in quodam itinere lectica, qua vehebatur, vepribus impedita, exploratorem viæ primarum cohortium Centurionem ſtratum humi penè ad necem verberavit. *Suet. in Tiberio.*

SALADINUS Ægypti Sultanus, captis Hieroſolymis Guidonem regem, & Romualdum ædituorum magiſtrum ipſe manu propria obtruncavit. *G. Boeth. l.13.*

Cùm Huſſitæ magnum tumultum Pragæ excitaſſent, cæſo prætore, pulſoque regni Camerario, qui cum trecentis equitibus ad comprimendum motum accurrerat: prandebat fortè Venceslaus VI. Rex, cùm ei jam atrocis rei nuncius de improviſo ſupervenit. Ad quem ille conſternatus, à menſa ſurgebat. Ibi adſtans Prægustator: Triduo, inquit, antè hoc ego futurum eſſe ſciebam. Arripit per capillos Prægustatorem Rex, illumque ante pedes ſuos proſternit, pugione occiſurus, tanquam tanti facinoris conſcium. Qui circumſteterant, ægrè pugionem extorſerunt, admonentes, ne cæde miniſtri Rex majeſtatem ſuam coinquinaret. Qui ſtatim apoplexia inter manus adhuc illorum tangitur, & non poſt multos dies moritur. Corpori ne Huſſitæ illuderent, Sophia Regina clàm illud noctu, ſine ullo exequiarum honore, in aula Regia, quemadmodum ſuperſtes exoptaret, ſepeliendum curavit. *Dubrav. l.23.* Sed *Æneas Sylv. c.37.* Boemiæ paralyſi correptum infra octo, & decem dies, ſignatis nominibus hæreticorũ, quos neci deſtinaverat, fratrem Sigiſmundum Hungariæ Regem aſſiduè vocitantem, & amicorum auxilia anxium expectantem, antè vita exceſſiſſe, quàm vocati principes adeſſent, tradit.

Benevolentiæ ſimulatione. Blandiendo.

DOMITIANUS Imp. erat non ſolùm magnæ, ſed & callidæ inopinatæque ſævitiæ. Auctorem ſummarum pridie quàm crucifigeret, in cubiculum vocavit, aſſidere in thoro juxtà coegit, ſecurum, hilaremque dimiſit, partibus etiam de cœna dignatus eſt. Aretinum Clementem, conſularem virum, è familiaribus, & emiſſariis ſuis capitis condemnaturus, in eadem, vel etiam in majore gratia habuit, quod noviſſimè ſimul geſtanti, conſpecto delatore ejus: Vis, inquit, hunc nequiſſimum ſervum cras audiamus? Et quo contemptiùs abuteretur, patientia hominum, nunquem triſtiorem ſententiam, ſine præfatione clementiæ, pronunciavit: ut non aliud jam certius atrocis exitus ſignum eſſet, quàm principii levitas. Quoſdam majeſtatis reos in curiam induxerat: & cùm prædixiſſet experturum ſe illa die, quàm charus Senatui eſſet, facilè perfecerat, ut etiam more majorum puniendi condemnarentur: deinde atrocitate pœnæ conterritus, ad leniendam invidiam interceſſit his verbis: Permittite Patres conſcripti à pietate veſtra impetrari, quod ſcio me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam & parcetis oculis veſtris, & intelligent me omnes Senatui interfuiſſe. *Suet.*

JULIANUS apoſtata à tormentis, & atrocioribus coactionibus abſtinendum putavit, quod ſuppliciis, & tormentis Chriſtianorum rex ante ſe magis fuiſſent amplificatæ, ipſique glorioſiores facti, quod ex Diocletiani extrema perſecutione didicerat. *Socr. l.3. c.13. Theodor. l.7. c.8.*

Inſultando, Irridendo.

De Tyrrhenis certum eſt: ad tibię modos ſolere ſervos cædere, ſummam mollitiem cum ſumma ſævitia conjungentes. *Eraſm. in Adag.*

JUSTINIANUS II. Imp. Conſtantinopoli recuperata, capto Leontio, quoties pituitam à naribus truncatis profluentem abſtergeret, toties aliquem ex iis trucidari jubebat. Leontium, & Abſimarum, qui imperium invaſerant, pedibus conculcatos, acclamante populo: Super aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, & leonem & draconem conculcabis, jugulari fecit. *Ivo in Chron. & Henricus de Erphordia.*

Moram trahendo.

Caligula, quos torquebat, minutis ictibus plecti jubebat, quo diutiùs languerent: addito etiam præcepto, Curate, ut ſe mori ſentiant. *Suet.*

Temporis. Ut quando in Ulciſcendo
Diem, Horamve certam obſervat.

MITHRIDATES Ponti Rex, ſatrapis urbiumque primoribus ſecreto perſcripſit, ut trigeſimam diem obſervantes omnes pariter Romanos, qui apud eos eſſent, & Italos, eorumque mulieres cum pueris, & libetis, qui Romani ſanguinis eſſent, interficerent, abiicerentque inſepultos, bona cum rege dividerent, ſupplicio propoſito iis, qui vel ſepeliſſent, vel aliter occuluiſſent. Cùm deſtinata cædi advenit dies, per univerſam Aſiam calamitatum multiformes viſebantur aſpectus. Epheſii eos, qui in Artemiſium confugerant, ſtatuas complexos per vim detrahentes crudeliter interfecerunt. Pergameni ſagittis confixerunt, qui in Æſculapii templum ſe contulerant. Adramitani adultos impuberesque in mare præcipitarunt. Caunii infantes ante parentum oculos contrucidantes, mox immolabant matres, & demum viros. *Val. Max. l.9. c.2. & Cæl. l.29. c.17.*

EMMANUEL Cæſ. Græcus, indignè ferens Venetos negaſſe, cùm id peteret, Gulielmo Siciliæ Regi Græcorum hoſti bellum illaturos, quo cum fœdus iniſſent: Venetos mercatores uno, eodemque omnes die tota Græcia, Græcorumque provinciis uno edicto comprehendendos curavit: miſſoſque ad expoſtulandum oratores contra jus gentium in cuſtodiam tradidit, in quibus Henricum Dandulum: nec dimiſit, niſi indignis habitos modis. *Æmil. l.5.*

Gallorum ſæva libidine, quam in Siculas mulieres exercebant, perciti Siculi, in unum convenere, ut ad campanarum pulſum, quibus decantandas eſſe veſpertinas orationes ſignificari ſolet, per omnem Siciliam Gallos, quicunque in ea erant, obtruncarent. Tanta edita in eos ſævitia, ut matrum utero divulſos liberos humi allidεrent: duabuſque horis conſtat eo tempore octo Gallorum millia occiſa fuiſſe, regni illius poſſeſſione Carolo primo adempta, in cujus locum Petrum Aragonium Regem Siculi ad ſe vocarunt. Hodie adhuc in Italia inſignis ultionis loco proverbium circumfertur, Veſperæ Siculæ. *Fulg. & Æmil.*

ELDREDUS Anglorum Rex, totius Danicæ gentis, quæ in Anglia eſſet, ſubornatis ad eorum necem percuſſoribus, in uno, ac eodem die penitus per fraudem delendæ conſilium ceperat, niſi transfuga quidam rem Danis indicaſſet. Unde eorum pars maxima, cæteris dolo pereuntibus, periculum declinaverunt. *H. Boeth. l.11.*

In noſtram ætatem incidere ferales illæ cædes die D. Bartholomæo ſacra, Lutetiæ Caroli IX. Regis juſſu, & permiſſu contra nefarios Hugonotos, nullo ſexus, ætatis, dignitatis, diſcrimine, anno LXXII. cum totius orbis ſtupore ſuſceptæ.

Nuptias celebrat Agens.

Claudius Cæſ. cum Agrippina nuptias inceſtas contrahens, ipſos nuptiarum die in quinque, & XXX. ſenatores, trecentoſque equites animadvertit, ut inceſtas nuptias funeſtas quoque faceret. Nam & Syllanus die nuptiarum ſibi mortem conſcivit, & Calvina Junia ſoror ejus, Italia pulſa. *Cuſp. ex Suetonio.*

Nares emungit Agens.

Ad Caſtricum de theca Quæſtoris crudeliſſimi, *Mart. Epigram. l.7.* ſic ſcribit.

Noſti mortiferum quæſtoris, Caſtrice, ſignum:
Eſt operæ precium diſcere theca novum.
Exprimeret quoties rotantem frigore naſum,
Lethalem juguli juſſerat eſſe notam,
Turpis ab inviſo pendebat ſtiria naſo,
Cùm fleret madida fauce December atrox.
Collegæ tenuere manus. Quid plura requiris?
Emungi miſero, Caſtrice, non licuit.

JUSTINIANUS II. Imp. Conſtantinopoli recepta, quoties emungeret (naribus autem mutilatus fuerat à Leontio) toties unum aliquem hoſtium interfici jubebat. *Plaut. Diac. l.19. rerum Rom.*

Sacra obit Agens.

BONIFACIUS VIII. Pontifex, Cinerum die, quo Pontifices ſolent Eccleſiaſticorum antiſtitum capita cinere aſpergere, ut ad Porchetum Spinulam, Genuenſem Archiepiſcopum, pervenit, quòd Gibellinæ factionis eſſe putabatur, cinerem non capiti inſperſit, ſed in oculos conjecit, dicens: Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem converteris. *Fulg. l.9. c.6. & Sab. l.9. c.11.*

Moritur Agens. Vindicta in agone obita.

Herodes morti proximus, Judæorum primores in hippodromo incluſos, ſimul ac animam egiſſet, trucidari juſſit, ut dum ſuos ſinguli lugent, regis quoque funeri lacrymas eas vel inviti libarent. *Joſephus.*

L. Sylla, pridie quàm moreretur, cùm Granium quendam civem Romanum, qui magnam pecuniam Pop. Romano debebat audiſſet ſolutionem tergiverſari, atque ipſius Syllæ mortem expectare, ad ſe accitum hominem in ſecretiorem locum adduxit: accerſitis deinde miniſtris, ut illum necarent, præcepit. *Joan. Gerund. l.8. Paralip. Hiſp.*

THEOPHILUS Imp. animam agens, Theophobum Perſam, ſororis ſuæ maritum, quem exercitui Perſico præfecerat, & ne regnum invaderet, metuebat, juſſit decollari: & allatum caput manibus verſans. Nec tu Theophobus ampliùs, nec ego Theophilus ero, cum gemitu dixit, & expiravit. *Zonaras.*

EDUARDUS I. Anglorum Rex, Scotorum domitor, in expeditione contra Robertum Bruſium, qui regem ſe Scotiæ dixerat, morbo correptus, cùm ſibi ultima inſtare animadverteret, quinquaginta quinque nobilium Scotorum liberos, impuberes ferè omnes, quos Kildrum caſtello aliquandiù oppugnato ea lege in deditionem acceperat, ut quod ſibi videretur de illis faceret, adduci juſſit: torvoque omnes vultu intuitus, Trucidentur, inquit, ad unum omnes à furca ſuſpenſi. Quod & extemplò factum eſt à tyrannidis ejus miniſtris. *H. Boethius lib.14.*

FERDINANDUS Rex Neapolitanorum, cùm graviter ex inteſtinis in Veſuvio laboraret: Epiſcopum Theani, quem habebat in cuſtodia, ſecuri uti percuterent, ſuis imperavit, addubitanſque ejus rei miniſtros, ſeſe ægro, dicto audientes non fuiſſe, Epiſcopi caput in cubiculum ad ſe afferri juſſit, quo inſpecto, quievit: paulòque poſt Neapolim relatus, urgente vi morbi exceſſit è vita. *Bembus l.3. Ven. Hiſt.*

Sacris operatur patiens.

ALCIPPUS Civis Lacedæmonius, ex uxore Damocrita filias duas habuit: cujus cùm civitas optimo conſilio, & opera multis in rebus eſſet uſa, in invidiam eſt ab hominibus diverſarum partium in Rep. raptus: qui falſis delationibus obrepentes Ephoris, moliri res novas Alcippum, conſciverunt ei exilium. Atque ille quidem ex urbe profugit. Damocritæ verò ejus conjugi ſequi, cum filiabus virum paranti vetuere: immò verò ne dos ſuppeteret virginibus, etiam patrimonium ejus publicaverunt. Sed & inimici, cùm nonnulli puellas ob virtutem paternam jungere ſibi connubio cuperent, interdixerunt lege, ne quis puellarum nuptias ſibi conciliaret, prætendentes votum feciſſe frequenter matrem ejus Damocritam, ut quàm citiſſimè gignerent filiæ liberos, qui illatæ patri injuriæ

pœnas perſequerentur. Cùm jam undique Damocrita agitaretur, A captavit feſtum quoddam publicum, quod feminæ cum virginibus, propinquis, & infantibus celebrabant: conjuges autem eorum, qui in magiſtratu erant, ſeorſum magno in Androne pernoctabant: ac gladio ſub veſte accincta, trahenſque ſecum filias, noctu penetravit in delubrum, tempus obſervans, quo omnes in Androne ſacris Arcanis operabantur, occluſiſque aditibus, materiæ magnam vim, quæ ad ſolemne ſacrificium ab illis parata ad manum erat, ſuccendit. Concurrentibus ad opem ferendam viris, filias Damocrita jugulavit, & poſt illas ſeipſam. Cùm jam Lacedæmonii, in quos effunderent iram, non haberent, extra fines Damocritæ, filiarumque ejus corpora projecerunt. Qua de cauſa infenſo Deo, magnum illum terræmotum Lacedæmone traditum eſt memoriæ extitiſſe. *Plut. in Amatoriis.*

Grimoaldus Longobardorum Rex, à Foropompilienſibus in Flaminia contra Græcos ducens deſertus, quadrageſimæ tempore, alio ſimulato bello, per montem Bardonis Tuſciam iniit: inde nec opinantibus omnibus repentè ſe ex Apennino demiſit, ac pridie Paſchatis oppidum ea ipſa hora, qua pueris ſacra aqua ad ſalutem inficiendis opera impendebatur, invaſit, ac tanta cæde totam urbem explevit, ut ne à diaconis quidem, B qui ei ſerviebant officio, militari licentia temperaverit. *Sig. lib.2. regni Italici*, & *Crantz. l.3. Daniæ, c.*28.

Simon Montisfortis Comes, hoſtis ab Henrico III. Britanniȩ Rege judicatus, regi regnum, atque libertatem ademerat. Cùm autem poſteà Eduardi filii opera regnum Henricus recepiſſet, Simonem in quatuor fruſta diſcerpſit. Hujus mortem Guido filius ulciſci cupiens, quo tempore Carolus primus Neapolitan. Rex unà cum juniore Philippo Gallorum Rege à Tunete venerat, ut Cardinalium collegio ſuaderet, ne ultrà novi Pontificis creatio differretur, quia cum eis Henr. Britannus erat, Richardi jam Imperatoris electi filius (hujus autem Richardi Fr. fuerat Henr. Rex, qui Simonem interimi juſſerat) Henricum ſacra in templo Viterbii audientem, atque utroque genu humi nixum, Guido occidit: & capillis apprehenſum, ſævè è templo abſtraxit, atque inde fuga ſe in Ethruriam recepit. *Fulg. l.9. c.*10. *&* *Blond. l.*8. *Decad.*2. Id & Philippo, & Carolo regibus Anglus poſteà crimini vertit, quòd illi tantùm facinus impunè præter ſuos oculos fieri, minimè pati debuiſſent. Guido aliquot annis poſt, mortuo ſocero, Comes Anguillariæ factus à Rogerio Petri Aragonii claſſis præfecto bello Siculo captus, C in cuſtodia periit, & pœnas fratricidii promeritas dedit. *Polyd. lib.*16. *&* 17.

Theodoricus Cicenſis Epiſcopus à quodam monaſticæ profeſſionis viro, quem ob vitæ, morumque turpitudinem ſæpiùs objurgarat, ad altare inter precandum cultrò perfoditur: ex quo vulnere poſt triduum expiravit, anno 1132. *Urſpergenſis.*

* De S. Matthæo Evangeliſta, & Apoſtolo memorat *Metaphraſt. in vita*, quomodò peracto Miſſæ Sacrificio, dum juxta aram, in qua Chriſti corpus confecerat, eſſet reverſus, à lictore, quem Hirtacus Rex miſerat, ſecuri percuſſus fuerit.

* Sic & S. Stanislaus Cracovienſ. Epiſcopus à Boleslao Poloniæ Rege, quòd notas illius libidines publicè argueret, dum immaculatam ad altare hoſtiam offert, obtruncatus fuit, ejuſq; corpus membratim conciſum, & per agros diſperſum aquilæ a feris mirabiliter defenderunt. *Breviar. Rom. 7. Maii.*

* Haud aliter nefarii Satellites Henrici Angliæ Regis, quod gratam rem ſe præſtituros Regi arbitrarentur, Sanctum Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem, in Eccleſia, reſidentiæ ſuæ, veſpertinis horis operam dantem capite truncarunt, ſic ut illius cerebro totius templi pavimentum reſpergeretur.

D * Gheuſiis initio tumultuum Belgicorum Catholicos, & Regios opprimentibus, Duce Guilhelmo Auriaco, cùm Ruremundam Gelriæ urbem occupaſſent, irrumpentes in templum Carthuſianorum, plures Religioſos precibus in Eccleſia ſua intentos trajecerunt. *Ex Theatro crudelitatum hæreticorum.*

* Sic & in urbe Houdan in Gallia Hugonotti Sacerdotem quendam in templum pertractum, & celebrare coactum, pugnis armatis percuſſerunt, & pugionibus perfoderunt. Alium verò cruci, quæ in Eccleſia Ocſali erat, affixerunt, & ſclopetis interemerunt. *Ibid.*

His ſimilia abſque numero exempla erui poſſunt ex Annalibus Eccleſiaſticis.

Jus dicit Patiens.

Ginus Taccii, Senenſis civis fratris, ac patrui mortem ultus eſt. Nam cùm is Radicofani arcem, in Senenſi agro poſitam, furtim occupaſſet, atque ab eo loco regionem propinquam prædando infeſtaret: Bonincaſa Aretinus, qui ſub vicarii titulo Senis jus dicebat, Turrim Turritam, Gini fratrem, ac Tacium E ejus patruum, tanquam Radicopani occupationis conſcios in foro Senenſi capite mulctavit. Cùm autem poſt aliquod tempus Romam ad gerendum magiſtratum Bonincaſa profectus eſſet: Ginus, cujus ex animo amiſſi fratris, ac patrui dolor nondum exciderat, ſequutus eum, in ipſo tribunali, in quo jus dicebat, occidit, caputque abſtulit. *Fulg. l.9. c.*10.

Loci. Ultio obita in Templo.

☞ *Vide Tit. In Templis interfecti. Item paulò antè, Dum ſacra obit Agens, Patiens.*

Convivio.

☞ *Exempla quædam ex Tit. In convivio necati.*

Otho II. Imp. Italicarum defectionum memor, magnifico in primis parato in Vaticano convivio, principes, ac legatos civitatum omnes, qui celebrandi adventus ſui gratia Romam de more convenerant, aut juſſi ab eo aderant, invitavit. Ubi F verò cuncti ordine accubuerunt, præconis voce, ne quis ad ea, quæ audiret, videretve, aut vocem miſiſſe, aut ſede ſua moviſſe vellet pœna capitis indicta denunciatum, ac ſtatim convivæ omnes intromiſſis armatorum catervis ex compoſito circumventi. Trepidantibus ad tale ſpectaculum ſingulis, deinceps nomina eorum, qui aut ſeditionem, aut tumultum conflarant, recitata, ac triſtibus de illis pronunciatis ſententiis, inſpectantibus cæteris ultimum ſupplicium ſumptum. In reliquis convivium mira comitate, ac liberali invitatione concelebratum. Ex eo inde Othoni cognomen Sangŭinarii inditum. *Sigon. lib.7. regni Italici.*

CRUDELITATIS POSSESSIO, EXERCItatio, ratione habita. Aliorum.

Et vel

CUM CERTAMINE CRUDELITATIS CERTAMINA.

☞ *Huc ii tantùm, qui Crudelitatis ulciſcendæ cauſa Crudeles & ipſi evaſere.* G

Carthaginenſes M. Attilium Regulum conſulem captum Romam miſerunt, ut de permutatione captivorum ageret. At is permutationem Rom. ſenatui diſſuaſit, quòd ſe venenum tabificum hauſiſſe diceret. Itaque Carthaginem rediit. Carthaginenſes eum in profundiſſimo carcere incluſerunt: mox reſectis palpebris ſplendidiſſimo Soli expoſuerunt: machinæ prætereà, in qua undique præacuti ſtimuli eminebant, incluſum, vigilantia pariter, & continuo tactu doloris necaverunt. *Val. Max. lib.9. cap.2. Gellius lib.6. c.4. ex Tuditano* refert Romanos poſteàquam id cognoverunt, nobiliſſimos Pœnorum captivos liberis Reguli dediſſe, à quibus in armario muricibus, præfixo deſtituti, eadem inſomnia cruciati interierint. *Polyb. lib.*1.

Justinianus II. cum per 10. annos crudeliter imperaſſet, & Stephani prȩfecti, & monachi Theodori inſtigatione nocte quadam omnes cives Conſtantinopolitanos interficere decreviſſet. Leontius patritius, magiſter militum Orientalium populari manu facta eum cepit, & lingua naribus, & auribus truncatum H Cherſonam relegavit. Stephanum verò, ac Theodorum poſt longa tormenta ad taurum ignitum damnavit. Cæterùm non multo poſt ab exercitu electus Imperator Abſimarus, Leontium pari crudelitate mutilavit, & in monaſterium detruſit. Juſtinianus ope Terbellii Bulgariæ regis, cujus filiam ambiebat, Conſtantinopolim decimo anno exilii cepit, civium plurimos ſuſpendit, & jugulavit: Abſimarum, & Leontium captos, ac vinctos in pompa duxit, eoſdemque pedibus conculcans, acclamante populo: Super aſpidem & baſilicum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem juſſit decollari. Cherſonenſes, qui eum Abſimaro prodere voluerant, crudeli ſupplicio affecit, & ne infantibus quidem pepercit. Quoties pituitam à naribus truncatis profluentem abſtergebat, toties aliquem ex Conſtantinopolitanis occidi jubebat. Tandem omnibus exoſus, à Philippico præfecto exercitus, ſexto imperii recuperati anno, interfectus eſt. *P. Diac. lib.*19. *&* 20. *Rerum Rom.*

Friderі-

Fridericus I. Cremam obſidebat. Eo profecto Sambaſſianum A ad conjugem inviſendam, ſive, ut refert Urſpergenſis, ad agri Mediolanenſis reliquum pervaſtandum, ex oppido eruperunt, ac cruento cum Germanis prælio conflixerunt. Ea re exaſperatis animis, varia inde utrinque edita ſunt crudelitatis exempla. Quippe cùm Germani amputatis Cremenſium capitibus fœde ludibrii gratia quaſi pila luſiſſent, Cremenſes captivos eorum in muros produxerunt, ac membratim dilacerarunt: & cùm illi captivos Cremenſium iis inſpectantibus ſuſpendiſſent, hi reliquos eorum egerunt in crucem. *Sig. l.*12. *regni Ital.*

Regnerus rex Danorum victorioſiſſimus, captus ab Hella Britannorum rege, & in carcere excruciatus, quod multis intulit, paſſus eſt. Filii ejus ubi audivere paternam calamitatem, Ivarus quidem, tum ſpectaculum edens populo, ne vultum quidem demiſit, ſed in eadem perſtans hilaritate, populum vetuit theatro excedere, ad finem uſque ſpectaculi. Sivardus eodem momento, telo, quod manu gerebat, pedem proprium percuſſit, planta perforata: ut indignationem exprimeret, quam animo conceperat. Biorn fortè aleam exercens, ubi nuncius paternæ necis adfuit, talos, quos manu tenebat, ita compreſſit, ut cruor de manibus ſtillaret: hoc primo paB rentationis genere in parentem uſus. Hella ubi audivit, qua fronte parentis necem filii excepiſſent. Ivari profundiorem iram interpretatus, vehementiùs timuit, quòd altiùs animi dolorem abſcondiſſet. Nec deceptus eſt exiſtimatione ſua. Omnes enim Regneri filii in eum duxere: ſed acerbiùs nemo inſectatus eſt Ivaro. Nam occupato in litore oppido, ipſo communivit. Inde auctus viribus, crebris vaſtationibus Hellam excivit, atque cepit: idemque vulturem à tergo famelicum addidit, qui viſceribus ejus paſceretur, donec exhalaret ſpiritum. *Crantz. lib.5. Sveciæ. c.7.*

Simon è Muralta familia Comi admodùm nobili, quæ originem à Locarno Verbani lacus oppido deducebat (ob id à Cotio, Merulaque ſcriptoribus Locarnas appellatus) vir ingentis animi, & proceri, robuſtique corporis, à Napo Turriano Mediolanenſium tyranno, eò quòd Vicecomitum partes ſequeretur, captus, & clathrata in cavea feræ beſtiȩ more concluſus, ſeptimo demùm anno permutatione facta liberatus, Othoni Vicecomiti magnum momentum ad victoriam attulit, & capto Napo non aliter inſultaſſe fertur, quàm ut C diceret, Non repoſcam à te ſanguinem, & opes, Nape, poſtquam Deus me voti compotem fecit, ſed æquo jure pœnam talionis. Napus conſtanti animo fabrefactam cancellatis trabibus caveam intrans, nihil pro ſe, ſed tantùm pro Guidone ex fratre Franciſco nepote, & Muſca filio deprecari. Non caruit ſcribendi, legendique ſolatio Napus. Cæterùm adeò acerbè cuſtoditus eſt, ut ei neque cultelli, neque forfices concederentur, quibus ſibi mortem conſciſcere poſſet, unde illi ad deformitatem prælongi ungues, promiſſa cæſaries, & illuvie turpis barba provenerant. Demùm poſt annum unum, menſes ſeptem, & dies viginti tres, in eo ſqualore, & vitæ tȩdio exactos in Baradello, arce Comenſi, mortuus eſt, fœda illuvie, & enatis ſubinde pediculis conſumptus. *Jovius in vita Othonis Vicecomitis.*

Turca in oppugnatione Conſtantinopolis captivos ad urbis portas adductos, in Græcorum conſpectu mactauit. Erant & apud Græcos quidam Turci, qui in vinculis aſſervabantur: quos Græci in pinnas muri rapientes, è regione hoſtilium caſtrorum interemerunt. *Chalcocondylas l.6.*

D Gallico exercitu, cui Gaſto Foiſſejus Ludovico XII. regi ſanguine junctus præfuit, poſt adeptam de Pontificiis, Venetis, & Hiſpanis ad Ravennam anno 1512. 11. Aprilis victoriam, in ſua caſtra reverſo, Ravennates ſtatim ad deditionem faciendam miſerunt. Sed ſeu dum paciſcuntur, ſeu jam pacti commeatum, qui in caſtra mitteretur, inſtruunt, mœnium cuſtodiendorum diligentia intermiſſa, Germani & Vaſcones per muri ruinam urbem ingreſſi, præter naturale in Italicum nomen odium, cladis quoque in pugna acceptæ indignatione, ad majorem crudelitatem incitati crudeliſſimè vaſtarunt. Ravennates cladis ſuæ contra jus, contra fas acceptæ memores, quatuor Gallorum præfectos, in arce qui fuerant, fide non ſervata vivos ſepelierunt, cervicibus ſupra terram extantibus. *Bembus l.12. Hiſt. Ven. Guicciardin. l.*10.

ABSQUE CERTAMINE. QUI ALIORUM E

CLEMENTIAM ODERUNT, reprehendit.

Jon à matre Creuſa tanquam privignus odio habitus, cædeque petitus, eàm ab ara Delphica, quo ſupplex confugerat, abſtracturus, *apud Eurip.* inquit: Miſerum quidem mortalibus leges non rectè ſtatuit Deus, neque ſapienter. Injuſtos enim ad aram non ſedere conveniebat, ſed propellere (neque enim attrectare convenit deorum res injuſtam manum) ſed illos ad ſacra ſedere, quicunque læderetur, æquum: & neque ad unum eundem locum euntem habere æquale bonum exiſtentem, & improbum, à diis.

Athanasius patriarcha Conſtantinopolitanus, (cùm quidam è patriarchico ſolio ſcabellum furati, Chriſti ſervatoris, & altera ex parte Imperatoris Andronici Palæologi imaginem, frenos in ore gerentis, quos Arſenius alter patriarcha, ut ſeſſor equi moderaretur, in eo depinxiſſent, & in locum ſuum repoſuiſſent) apud Imperatorem hujus facti nomine accuſatus, convictos calumniatores carceris tanta pœna affectos, dolens, ut qui non niſi morte ſibi pro F tanta calumnia ſatisfieri poſſe cenſebat, dignitate ſe ſpontè abdicavit. *Greg. lib.*7.

IRAM ACCENDUNT, FOVENT.

☞ *Vide Titulum Crudelitatis magiſtri. Item ex Tit. Actus in bello excitando.*

Bello Bœotico, legati ex Græcia Lacedæmonem convenere ad fœdus faciundum, inter quos Epaminondas fuit vir eruditione, & ſapientiæ ſtudio clarus, verùm armorum haud dum dederat documentum. Hic omnes cernens Ageſilao ſe venditantes, ſolus gravitatem, cum dicendi libertatis retinuit: habuitque orationem non pro ſolis Thebanis, ſed pro tota Græcia communem, demonſtrans bello increviſſe Spartam, undè reliqui erant afflicti cuncti: ac pacem conſuluit, æquabilitate, & jure ut componerent, ita demùm fore eam conſtantem, ſi partes omnes eſſent. Cui cùm omnes Græcos Ageſilaus rex adverteret mirificè aſſentiri, & aures præbere, per- G contatus eum eſt: Verumne, & æquum ducerent, Bœotiam immunem ſuis legibus eſſe? Ubi eum invicem Epaminondas promptè, & confidenter rogavit: Numne & ipſe cenſeret æquum, Laconiam immunem ſuis legibus eſſe? exiliens cum ſtomacho Ageſilaus, juſſit expromere eum diſertè, Ecquid Bœotiam liberam relinqueret? Cùm idem invicem requiſiſſet Epaminondas, Ecquid Laconiam dimitteret liberam? uſque adeò eſt exacerbatus Ageſilaus, ut hac arrepta anſa, confeſtim Thebanorum nomen expungeret ex fœdere, indiceretque iis bellum, quo fœdè ad Leuctra ſunt profligati Lacedæmonii. Sub prælium ad Mantinæam, & lethum Epaminondæ, pace inter Græcos ſancita, à jurejurando Ageſilaus Meſſenios, quaſi oppido carerent, ſummovit. Quos ubi cæteri omnes admiſere, & ſacramentum ab iis accepere: diſceſſerunt à fœdere Lacedæmonii, ſolique in armis ſpe Meſſenen recipiendi manſere. Quare violento ingenio, & præfracto habitus eſt, & belli inſatiabili cupiditate Ageſilaus, qui commune fœdus omnibus nervis interpellaret, protelaretque: ex altera parte ob rei pecuniariæ difficultatem ſol- H licitare amicos urbanos, æ alienum accipere, & cogere à civibus neceſſe haberet pecuniam, cùm oportuiſſet illis ſe malis extricare, quando eò tempus reciderat: nec cùm totum imperium, quod fuerat tam grande terra, marique, urbeſque de manibus emiſiſſet, de poſſeſſionibus, & vectigalibus diſcruciari Meſſenicis. Denique cùm pacem exoſus eſſet, nullam aliam militandi occaſionem habens, in Ægyptum ab Tacho evocatus, cum mercenaria manu jam octogenarius, cùm ab eo ab Mectanacim defeciſſet, ſua virtute Nectanabi regnum confirmavit. In patriam revertens, quam bello domeſtico implicatam audiverat, in Menelai morbo deceſſit. *Plutarch. in Ageſilao.*

Cùm Beryti in conceſſu CL. virorum Herodes rex Judæorum filios ſuos Ariſtobulum, & Alexandrum accuſaſſet de fuga, cùm patris odia perferre ampliùs non poſſent: Saturninus vir conſularis damnavit quidem eos, non tamen cenſuit interficiendos. At Volumnius, cùm majori parte capite plectendos cenſuit: Deducti igitur Sebaſten ſtrangulati ſunt. *Joſeph. lib.16. c.17. Antiq.*

Samii captivorum Athenienſium frontem inſcripſerunt A noctua : ut ipſorum frontem ante Athenienſes Samæna. Eſt Samæna navis prora demiſſa, concava autem magis, & ventricoſa, ut ad mare commodior, & agilior ſit. Nomen hoc obtinuit, quòd in Samo primò viſa ſit à tyranno parata Polycrate. Ad hæc ſtigmata ajunt Ariſtophanem obſcurè alluſiſſe : Samii periti litteris quamplurimùm. *Plut. in Pericle.*

CRUDELITATEM LAUDANT, FOVENT.

VENCESLAUS Imp. Boemiæ rex, adeò natura ferus, & ſanguinarius, ut aſſiduum penes ſe carnificem haberet, quem compatrem familiariter appellabat, quia filium ejus de fonte ſacro levarat, & tam familiariter, eo utebatur, ut aliquoties uno, eodemque equo ſecum vehi illum paſſus fuerit. *Dubr. l.23.*

SUPPLICIIS, CALAMITATIBUS DELECTANTUR.

☞ *Ex Tit. Crudelitatis erga hoſtes huc quædam.*

HANNIBAL Pœnus, inſpecta humani ſanguinis plena foſſa, B Pulcrum eſſe ſpectaculum, dixit. *Fulg. l.10. c.11.*

IULIUS Cæſar, ob cadaveris fœtorem via declinantibus cæteris, ipſe recta per acervum mortuorum profectus eſt optimè olere hoſtem, inquiens, præſertim civem. *Suet.*

CRUDELITAS RESPECTU PERSONARUM, ERGA QUAS EXERCETUR.

VIDELICET.

ERGA HOMINES CONSIDERATOS SECUNDÙM

HABITUM. ERGA

Prophetas.

JORAM Iſraelitarum rex, Samariæ obſeſſus à Benadad rege Syrorum, cùm fames maxima civitatem invaſiſſet, contra Eliſæum prophetam tanta ira exarſit, eò quòd Deum pro liberan- C da urbe non exoraret, ut miſerit ſatellitem, qui ei caput præcideret. Sed ſtatim pœnitentia ductus, ſatellitem revocavit. *4. Reg. 6.*

Philoſophos.

Antoninus Caracalla Imp. ſtulta æmulatione Alexandri Magni (qui veneni Stygii, quo per Jolam ille è medio ſublatus, creditur, commonſtrator fuiſſe dicebatur) voluit libros Ariſtotelis comburere : ſodalitates Ariſtoteleorum, & cætera commoda, quæ habebant in Alexandria, ſubſtulit. *Dion. Nicæus in Antonio.*

Religionis diverſæ ſectatores. Tum

Gentiles.

Sub belli Judaici initia, cùm ſeditioſi Hieroſolymitani, duce Eleazaro, præſidium Romanorum interfeciſſent : magnus in omni Syria motus contra Judæos exarſit. Cæſarienſes Judæorum inquilinorum XX. millia ad interneci- D onem cecidere. Scythopolitæ XIII. millia, Aſcalonitæ MMD. Ptolemaidis incolæ MM. Alexandrini in loco Delta dicto, L. millia. Ceſtius Syriæ præſes Joppe capta, VIIIMCCCC. trucidavit. Damaſceni in Thermis publicis congregatos adorti, decem millia oppreſſerunt. *Vide Joſephum l.2. belli Judaici.*

Sub id tempus, quo Trajanus vita deceſſit, Judæi ſubita defectione, Græcos, Romanoſque, qui Cyrenis, totaque Cyrenacia regione agebant, ex improviſo adorti, ad CCXX. millia hominum trucidavere. *Euſeb. lib. c.1.* circa Cyrenas, & in Ægypto dimicatum ſcribit à Judæis adversùs locorum incolas. Verùm quoquo modo res geſta eſt, nulli mortalium atrociùs in peremptos ſævire, ſi vera ſunt, quæ Dion de ea tradidit. Cæſorum inteſtinis præcinxiſſe ſe dicuntur, cruore inunxiſſe, cute velaſſe capita, humanas carnes eſitaſſe, multos à vertice ſerris diſſectos, alios beſtiis objectos, aut inter ſe ferro dimicare coactos. Hac rabie contacti, qui Judæorum Alexandriæ, & in Cypro per id tempus fuere, Artemione quodam duce arreptis repentè armis, tam fœdam utrobique ſtragem edidere, ut his quoque locis CCXL. millia hominum uno ſint tempore E occidione occiſa. Nec hi tam atrox facinus impunè tulerunt. Luſius à Trajano adhuc in humanis agente, ad ultionem miſſus, rebellem gentem teterrimis affecit cladibus. *Sab. l.4. Ennead.7.* Libyam certè adeò vaſtam, & vacuam hominibus à Judæis eſſe factam, Eutropius, & Oroſius tradiderunt, ut niſi Hadrianus colonias aliunde in eam deduxiſſet, deſerta prorſus relicta eſſet.

Non deſunt, qui teſtantur, Hiſpanos multa crudelitate uſos in India. Nam bello captos trucidaſſe, vel eos in aurifodinas detruſiſſe, inſuetiſque laboribus oppreſſiſſe. Adeò ut quindecies, vel, ut alii ſcribunt, vigeſies centenis hominum millibus, qui Hiſpaniolam incolebant, vix hodie ad ſummum quingenti, vel centum quinquaginta, ut quidam aſſerunt, ſuperſint. Idemque cæteris provinciis, & inſulis hominum interitus accidit, in Cuba videlicet, Jamaica, Portu divite, reliquiſque locis. Cùm ſe enim ad miſeram ſervitutem paſſim rapi viderent, & lex conſtituta eſſet, qua continentis incolæ, qui religionem Chriſtianam non amplecterentur, ſervi fierent (quæ lex in Caribes ſive Canibales à Ferdinando Rege lata, in alias pro- F vincias extenſa eſt, paucis in Mexico tantùm exceptis) maluerunt Indi mortem ſubire, quàm vivere. Itaque qui ex Hiſpanorum ſævitia ſupererant, ii vel ſeſe in vaſta loca, Hiſpanicum imperium fugientes, receperunt : vel arreptis occaſionibus ſeditiones moverunt, & ab illis defecerunt. Multi vitæ pertæſi, mortem fame, alii ſuſpendio, alii præcipitio, alii veneno ſibi quæſivere. Herbis, & potionibus abortum feminæ, ne ſervos Hiſpanis gignerent, procurarunt. Quidam, præacutis lignis pectus ſibi perfoderunt : alii liberos baculis occiderunt. Hiſpani verò, ne ſervi ſibi manus inferrent, & eos metu pœnæ ſubſecuturæ à cæde averterent, iis dejerabant, ſe etiam occiſuros eſſe, ut eos mortuos ipſi quoque mortui perſequerentur, nec illos morte verbera evaſuros : abſtinerent ergo, niſe ab ipſis in inferno pejus, quàm in terris tractari vellent. Ac quamvis ſervi è continente in inſulas abducti fuerint innumeri, tamen omnes propè extincti ſunt. Apud pleroſque Hiſpanos milites in more poſitum fuit, ut ſervos ſuos graviſſimè punirent, ſi mercedem diurnam aut non attuliſſent, aut penſum in auro argentove effodiendo non abſoluiſſent, aut ſi quid levioris denique delicti perpetraſſent. Etenim veſperi reduces, cœnæ loco primùm veſtimentis exuebant : manibus dein, pedi- G buſque in tranſverſo palo revinciebant : mox chorda bubalove nervo diriſſimè verberabant. Sic tractatos pice, oleove ferventi guttatim perfundebant : ſalita pòſt aqua corpus abluebant, & in menſa tamdiù relinquebant, quamdiù dolorem ferre poſſe putarentur. Poſt carnificinam hujuſmodi, ſi durior dominus illis contigerat, vivos in tota noctem, collo tenus, defodiebant : præſentiſſimum id ad plagas remedium eſſe, ludibrio dictantes. Si quis ex illis præ dolore moreretur (id quod non rarò accidit) Dominus ſingula ſervorum capita regi in occiſorum locum ſufficiens, ab homicidii pœna liberabatur. Fuere, qui ſervos fodinis mancipaverint : in quibus inſolito labore fractæ multæ ſervorum myriades periere, alii mercibus illos permutare ſoliti ſunt, aliove modo diſtrahere. Idque tam inclementer, & avarè nonnulli fecerunt, ut Chriſtianæ omnis humanitatis prorſus obliti, è continente abreptos utriuſque ſexus homines, nulla nec ætatis, nec valetudinis habita ratione, navibus in vicinas inſulas tranſportarent. Eorum non pauci, qui mare non adſueverant, in ſentinam abdebantur, & fame, fœtore, & ſquallore crudeliter abſume- H bantur. Feminæ complures ex Hiſpanis gravidæ, unà cum innoxio fœtu pro ancillis ſunt venditæ. Quamobrem Indi ab Hiſpanis deficientes, quoſcunque ex iis nanciſci poterant, vel in bello capiebant, eos (incenſi præcipuè Joannis Acoſtæ, qui militum Petri Ariæ ductor erat, ab auri cupidine, ſævitia) gravibus ſuppliciis excarnificatos ceciderunt. Maximè verò militiæ præfectis manus, pedeſque vinciebant, & humi proſtratis aurum liquefactum in os infundebant : cum exprobatione, ut auri ſitim, qua tantopere premebantur, explerent. Ob hæc Carolus V. Cæſar Figueroam in Indiam miſit, ut cauſa cognita, omnes Indos in libertatem vindicaret : detrectantes Hiſpanos, pœnis adficeret. *Joan. Metellus in Epiſt. quæ Oſorio præfigitur.*

Chriſtianos.

Nihil tam atrocis ſupplicii, & cruciatus ab immaniſſimis quibuſque tyrannis excogitari potuit, quo non digni Chriſtiani judicati ſint, ſub M. Antonino Philoſopho. Gallorum epiſtola apud *Euſebium l.5. c.1.* aliquot crudeles formas enu- A merat, inſidias domi, foriſque, in omnibus publicis locis inclamationes, plagas, tractiones, direptiones, lapidationes, contuſiones, applicationes laminarum candentium, carceres tenebroſos, incluſiones in equuleo ad quintum punctum, in ipſis cuſtodiis ſtrangulationes, beſtiarum dentes, ferreas ſartagines, patibula, ventilationes ex cornibus taurorum, & ſimiles. Diſiectis etiam in carceribus, & alibi mortuorum cadaveribus canes cuſtodes additi ſunt, ne ſepulturæ officium cuiquam contingeret : neque vel precibus ab aliis ſepulturæ impetrari potuerunt.

CYRILLUS diaconus Heliopoli ad Libanum, cùm ſub magno Conſtantino multa ſimulacra confregiſſet, ſub Juliano, ventre diſſecto, jecur ejus Gentiles quoſdam devoraſſe tradunt. *Suidas.* Aſcalone ſub Juliano gentiles ſacerdotibus Chriſtianis, & mulieribus virginitatem profeſſis alvos diſſecuere, & completas hordeo porcis objecerunt. *Theodor. lib.3. cap.6.*

☞ *Vide Infrà. Crudelitas reſpectu injuriæ relatæ in patientem, §. Calumniam.*

B

Apud *Thalmudiſtas in libro Abodazara* ſcribitur, quòd inexpiabile peccatum ſit Judæis, benefacere aliis, quàm Judæos, neque aliorum quorumcumque ullam, ſeu piè, ſeu honeſtè, mentionem facere. Ibidem jubentur, tranſeuntes Eccleſias, ac Chriſtianorum oratoria, hæc verba feriò dicere : Domum cloacarum diruat Dominus. Item dum prætereunt Chriſtianorum ſepulcra hæc defunctis ipſorum imprecari docentur : Erubeſcat mater veſtra, repudiata eſt genitrix veſtra, quia finis Chriſtianorum vermis, & putredo erit. Qualibet die tribus vicibus in orationibus ſuis, manè ſcilicet, veſperi, & nocte, talia verba replicant : Deſtructis nulla ſit ſpes : & omnes hæretici, & omnes, qui loquuntur contra Iſrael, ſubitò abſcindantur : & regnum ſuperbiæ citò frangatur, & diruatur : & inimici noſtri univerſi humilientur, & breviter in diebus noſtris conturbentur. Ex ſententia Rabbi Salomonis filiis Jarchi, in Talmud hæc quoque leguntur : Mulier Chriſtianorum occides, & mulieri, ut ſerpenti, frange caput. Et gloſſis Rabbi Salomon, quod hoc intelligitur de Chriſtianis illis, qui erga Dei C ſervitium devoti inveniuntur. Item jubent in Abodazara, & recitatur per Rabbi Moyſen de Ægypto in libro Madda, quòd illi, qui ſequuntur doctrinam Jeſu Nazareni, taliter ſunt tractandi, quod ſi quis viderit eos appropinquantes ad mortes, extinguat illos. Et ſi reperiet eos juxta puteum, proiiciat intùs, & revolvat lapidem ſuper puteum, ne egrediantur. Et ſi ſint in puteo, ſcala auferatur, ne aſcendere poſſint. *Michael Neander in Erotematis linguæ Sanctæ.*

In *Fortalicio fidei lib.3. conſideratione* 7. multa recitantur exempla perfidiæ, furoris, ſævitiæ in Chriſtianos, Judæorum : mactationis infantum acubus, cultellis, claviſque transfixorum, quorum ſanguinem etiam miſcuiſſe referuntur diverſis fructibus, pomis, piris, nucibus in partes minutiſſimas conciſis, ac devoratis poſteà pabulum horrendum, ac triſte. Cor etiam exſectum, ac combuſtum, in cinereſque redactum, vino temperatum, ſibi ipſis invicem, quacumque de cauſa à diabolo ipſis monſtrata, propinat. Ibidem commemorantur. Recitantur etiam exempla deriſorum Chriſtianorum, ac ſpinis coronatorum, puellarum mactatarum, hoſtiarum confoſſarum : transfigentium etiam imaginem Salvatoris, unde ſanguis, & aqua emanavit : latus quoque ejus D perforantium, unde ſanguis, & aqua profluxit. Ex Auguſtini etiam quodam Sermone, ibidem indicatur cauſa, quare quotannis ſemel mactent Chriſtianos, ac ſanguinem horum diſtribuant paſſim in orbem aliis Judæis : miſſis etiam ſortibus, quæ civitates, quæ provinciæ cæteris Judæis ſanguinem Chriſtianum conficere mittere debeant. Quomodò etiam fontes intoxicarint, pabula, ac aerem infecerint, venena Chriſtianis propinarint : quòd doceant publicè, & privatim in ædibus contra ipſos : quòd imprecentur ipſis quotidie mala quæque, quòd uſuris exhauriant, & expilent facultates Chriſtianorum. De ſanguine Chriſtianorum, quem de mactatis colligere ſolent Judæi, alii aliud tormentis ſubjecti dixerunt : ſeu fingentes cauſam, quare tantoperè ſitiant ſanguinem Chriſtianorum, ſeu ignorantes etiam quare ſanguinem Chriſtianorum requirant, cùm ea res non niſi pauciſſimis, & ſummis apud eos Rabinis feratur eſſe nota. Ante annos quinquaginta Judæus quidam baptizatus Ratiſponenſis, cui multa Judæorum arcana nota fuere, Uratislaviæ tum de aliis, tum etiam de ſanguine Chriſtianorum rogatus, quomodo, & ad quos uſus uſurpetur à Judæis : reſpondit : Morituros Judæos eo E inungi ſanguine, id genus verbis : Si in rege, & prophetis promiſſis Meſſias jam venit, & is Chriſtianorum Jeſus eſt, hic ſanguis innocentis pueri in ea fide mortui tibi ad ſalutem æternam commodet : *Michael Neander in Erotematis linguæ Sanctæ.*

Circa annum Salutis 1289. Judæi in Boemia, urbe Praga, die ſacra Paraſceves foribus clauſis, quendam Chriſtianum hominem Judæo ob inopiam ſervientem crucifixerunt, in contumeliam Chriſti Domini, & Chriſtianorum omnium, impletis in eo omnibus, quæ didicerant in Chriſto Domino peracta. Populus correptis armis ſæviit in perfidos, extruxitque duas baſilicas in honorem novi martyris, quem in cauſa Chriſti hoſtes Chriſtiani nominis crucifixerant. *Crantz. lib.7. Vandaliæ cap.40.*

Egreſſis Praga Othonianis legatis, Judæi, ſacra die Paraſceves anno 1305. facinus in hominem Chriſtianum atrociſſimum deſignarunt, nempe in locum abditum pertractum in cruce nudum ſuſpenderunt, circumſtanteſque, alius in illum expuere, alius pugnis os verberare, alius virgis cædere, alii denique cuncta in illo repræſentare, quæ quondam Chriſtus à gente illa immaniſſima, atque impiiſſima F eſt paſſus. Hanc Judæorum carnificinam, cui ad crudelitatem, odiumque in Chriſtianos nihil adiici poteſt, populus Pragenſis, non expectato etiam Rege Venceslao IV. (qui in puniendis delictis hoc verbo uti ſolitus erat : Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis) quanta crudelitate potuit, novis item ſuppliciis excogitatis, ultus eſt, monumentumque novo martyri ex Judaicis ſpoliis poſuit. *Dubrav. lib.* 18. Diverſum hoc facinus à ſuperiore ratione annorum.

Apud Norvicum Angliæ civitatem puer quidam, cui nomen Vvilhelmo, à Judæis crucifixus eſt, & extra civitatem contumulatus. Sed luce (ut perhibent) cælitus miſſà, res innotuit fidelibus : qui repertum cadaver ſummo cum honore in urbem detulere, & in templo ſepelierunt, an. Chriſti 1146. *Continuator Sigeberti, & Antonin.*

Bleſenſem urbem incolentes Judæi ſub an. Sal. 1172. idem facinus perpetrarunt, ac occiſum in cruce puerum, & ſacco inſutum, in Ligerim amnem projecerunt.

Brajæ degentes Judæi hominem quendam Chriſtianum, G quem furti, homicidiique inſimulabant, captum ſerto ſpineo coronarunt, per oppidum circumduxerunt, multiſque verberibus affectum, tandem in crucem egerunt, domina illius loci, auro victa, id permittente. *Vincentius lib.29. cap.43. Gaguinus lib.6. de Francis.*

Pariſienſes etiam Judæi, Chriſtiani hominis ſanguine ſe polluiſſe leguntur apud Nauclerum. Atteſtatur *Guguin. lib.6.* hunc morem apud perditam gentem receptum fuiſſe, ut ſurreptum quotannis Chriſtianum aliquem puerum, in ſubterraneis locis miſerè affligerent, ac tandem eo die, quo Eccleſia Dei paſſionis Dominicæ recolit memoriam, cruci affigerent. Id ipſum *Vincent. lib.29. cap.25.* annotat.

Judæi circa an. Sal. 1288. puerum Chriſtianum, Rodulſum nomine, clàm Bernæ Helvetiorum necarunt. Detecto facinore, ipſe inter divos relatus : auctores rotæ ſupplicio necati : Judæi cæteri exilio ſunt mulctati. Exules tantùm apud Rodulfum Habſpurgenſem Imperatorē potuere, ut cùm Judaicas cauſas ad ſe ſolùm imperii titulo ſpectare contenderet, mulctam pecuniariam Bernenſibus impoſuerit. Illis autem latrocinii cognitionem ſibi jure vindicantibus, & mulctam pendere recuſantibus, bellum atrox excitatum eſt : eo eventu, ut Ber- H nabis obſeſſa, re infecta Rodulfus diſceſſerit, accedente præſertim homuncionis cujuſdam, qui Imperatori in deliciis erat, vaticinio, vel invitis omnibus Bernam aliquando vicinorum imperio potituram. *Stumpf.*

Conſtantinopoli Judæus Chriſtiano egenti certam auri ſummam mutuò dederat, uti conſtituto tempore, & ſortem, & uſuræ loco duas carnis ejuſdem Chriſtiani uncias reciperet. Chriſtianus ſortem reddit, uſuram negat. Solymannus Imperator Judæi crudelitate, Chriſtiani neceſſitate animadverſa, novaculam afferri jubet, & ad Judæum converſus : Age verò inquit, jus perſequere tuum, ex quavis parte fruſtillum excinde, ſed cave plus juſto eximas. Judæus periculo territus fœnori ſpontè ceſſit. *Ægid. Corrozet.* ☞ *Vide Locum de Judæis, & hæreticis.*

Judæos.

Judæos.

Sub Carolo IV. Imperator circa annum Domini 1348. Judæi per Galliam, Germaniam, & Italiam graviſſimam ſunt paſſi perſecutionem, adulterinæ monetæ, & puteorum infectorum rei: ſeu potiùs, ut multi arbitrantur, opulentiæ nomine Chriſtianis principibus inviſi, qui in illorum bona involarunt. Itaque ſynagogæ illorum, quas Baſileæ, Argentinæ, & Spiræ habuere, funditus exciſæ fuerunt. Manent etiamnum hodiè locorum nomina, Rupertus Palatinus Rheni partim miſericordia, partim pecunia motus, miſerrimæ gentis patrocinium ſuſcepit. *Stumpſius.*

Cùm Ricardus Anglorum rex Londini coronaretur an. 1189. Judæorum quoque proceres ſuorum privilegiorum confirmandorum cauſa eò confluxerunt. Eos rex edicto publicè & templi aditu, & palatii ſummovit. Verùm illi turbæ immixti, ſimul in palatium regium ſe recipere tentant. Ibi agnitus Judæus quidam, ab homine Chriſtiano repellitur, mox, & alii proditi pulſantur ſtrenuè. Sparſo per urbem rumore, regem omnes Judæos extinctum velle: populus, qui tum frequens ob coronationis ſolemnitatem aderat, prædæ cupiditate accenſus, arma induit, & Judæorum ædes ſuccendit, obvios proſternit, rege fruſtrà cives ab armis recedere jubente. Sedato tumultu, rex Judæis pacem edicto ſancit: quæ tamen diuturna non fuit. Nam ipſo ad ſacram expeditionem apud Normannos ſe accingente, Linnæ civitatis incolæ perſecutionis initium fecerunt, hac occaſione, Judæus quiſpiam ad religionem Chriſtianam acceſſerat: quod cæteri indignè ferentes, in ipſum impetum facere non ſunt veriti: ſed beneficio Chriſtiani templi, quo ſe receperat, liberatur. Negociatores Judæorum turbam, quæ ad oppugnationem templi confluxerat, miſerè trucidant, ædes expoliatas Vulcano tradunt, conſcenſiſque ſuis navigiis, fuga ſibi conſulunt. Cives à rege in judicium vocati, omnem in peregrinos reiiciunt culpam. Apud Stanfordiam cùm Quadrageſimali tempore ſub ipſis nundinis magna militum cruce inſignitorum turba conveniſſet, ac itineris tam longinqui ſumptibus deſtituerentur neceſſariis, Judæorum domos cingunt, captos trucidant, præda ingenti potiuntur, civibus odio Judæorum quieſcentibus. Lincolnienſes idem contra ſuos Judæos acturi erant: ſed hi conſilio cognito, in arcem regiam ſeceſſerunt. Eboracenſes confœderati nobilibus, quos fœnore ad extremam paupertatem redegerat improba Judæorum gens, & ſacris quibuſdam militibus noctu principis Judæorum ædes, regis palatio conferendas, effringunt, trucidata familia, boniſque direptis, igni tradunt, ac tenebrarum beneficio clàm in ſua ſe recipiunt. Non multò pòſt promiſcua multitudo, impetu in Judæos facto, ſine diſcrimine vel ſexus, vel ætatis eos mactant, præter paucos, qui Chriſto per baptiſmum nomina ſe daturos pollicerentur. Quin & arcem, quò ſe multi receperant, oppugnant. Obſeſſi de ſalute deſperantes, ſuadente ſuæ legis doctore primario, hoc conſilii ineunt, moriendum eſſe pro lege Domini. At ne ſuis opibus oppugnantes ditarentur, veſtes precioſas comburunt, vaſa aureà latrinis committunt. Joceus quidam primarius uxoris guttur cultro incidit, nec à propriis filiis manus abſtinet, Joceum ipſe legis doctor jugulat. Morituri ignem arci, quo cremarentur, ſubiiciunt. Ex incendio nonnulli ſervati, ab oppugnatoribus trucidantur. Cæde peracta, conjurati cathedralem Eccleſiam adeuntes, monumenta debitorum, quibus Chriſtiani premebantur, à Judæis fœneratoribus regiis ibidem repoſita, in medio templi comburunt. Ricardus rex re cognita, tum ob læſionem regiæ majeſtatis, tum ob magnam fiſci jacturam graviter indignatur. Fiſco enim competebat, quidquid Judæi, quos fœneratores conſtat eſſe regios, in bonis habere videntur. Dato itaque ad Elienſem Epiſcopum cancellarium ſuum mandato, ut de ſeditionis auctoribus juſtum ſupplicium ſumeret; Epiſcopus Eboracum cum numeroſo exercitu adit, de ſingulis inquirit. Rei ad Scotos transfugerant. Senatus, cùm præter ſuam voluntatem hæc acta eſſe, nec furentem multitudinem ſe cohibere potuiſſe affirmarit, mulctatur pecunia. An. MCXC. *Neubrigenſis lib.4. cap.7. & ſeq.*

Judæi an. MCCCXLIIX. Baſileæ, crimine infectorum veneno fontium, in Rheni ripa domui ligneæ incluſi ſunt, & combuſti: reliqui urbe exacti. Cœmeterium profanatum, lapides ſepulcrales innumeri in publica ædificia tranſlati. *Stumpſius in Helvetiæ chronico.*

Mahumetanos.

Occupata de Mauris Zata Hiſpaniæ urbe, Ferdinandus, Joannis regis Caſtellæ patruus, qui pòſt Aragoniæ rex factus eſt, militiæ præfectus, civium ad tria millia incolumes abire permiſit Granatam. Hos abeuntes, & propter uxores, liberos, atque ſenes tardiùs iter facientes, Didacus Demanus Adelittus (ea eſt ariolorum ſecta) profectus à caſtris Setanilliis, quæ aberant x. millibus paſſuum, aſſecutus eſt in anguſtiis quibuſdam, & ad unum omnes occidit, ſive odio gentis, ſive prædæ ſpe, quòd crederet eos aurum ferre, ſive ulciſcendæ injuriæ alicujus gratia, ſive alterius perſuaſu, in victoris invidiam. Eum reverſus Ferdinandus cùm ad pœnam depoſceret, ac primos ſociorum, interponebant plerique preces, ut veniam daret: quorum aliqui eò impenſius abſolutum optabant, ut invidiam in Ferdinandum conflarent, qui tantum captivorum è manibus dimiſiſſet. Hoc autem negante ſe veniam dare poſſe, niſi fama periclitari vellet, ac fidem datam rupiſſe, reſponſum eſt à multis partibus, non permiſſurum exercitum, ſanguine Chriſtianorum canibus illis parentari, reſque jam ad ſeditionem ſpectabat. Ferdinandus, qui ſciret multos adeſſe, qui inviderent, multos, qui odiſſent, multos, qui ob factioſam potentiam non poſſent à ſe, utpotè recenti duce, in officio teneri, pronunciavit, Didacum, ſocioſque ſe donare, quidem capitis impunitate, ſed non tamen crimine abſolvere, ac quantum in ipſo eſſet, unum Didacum ignominia notare, ut cum omnibus, quæ peccavit, hac leni mulctatione decidat. *Valla lib.1. de Ferdinando.*

Supplices.

☞ *Ex Tit. Crudelitas erga hoſtes vivos, huc quædam.*

Cùm Pythius, Xerxem regem Perſarum, quem cum toto exercitu hoſpitio exceperat, oraſſet, ut ex quinque liberis maximum natu ſibi relinqueret, qui ſe jam gravem ætate in re domeſtica adminiſtranda juvaret: tulit id rex iniquo animo crimen, ut credere par eſt, averſatus: Pythioque amariſſimis verbis increpito, filium, quem ſibi depopoſcerat, in duas partes diſſectum, dimidium hoc ad dexteram viæ, reliquum ad lævam ſtatui juſſit, exercitumque per hominem ita dimidiatum traduxit. *Sabel.l.2.Enn.3.*

Fuſis in Marathone Perſis, ad Galliæ tædiferi pedes Barbarus quidam, ex coma, & faſcia regem ratus, abjecit ſe: cumque adoraſſet eum, & dexteram apprehendiſſet, magnum pondus auri oſtendit in puteo quodam defoſſum. Ibi Gallias omnium hominum crudeliſſimus aurum abſtulit: & hominem, ne proderet rem aliis, interfecit. Hinc dictos ajunt à Comicis poſteros ejus Laccoplutos, quaſi ex Puteo divites: in locum, ubi aurum invenit cavillantes. *Plut. in Ariſtide.*

Athenienſes arcta obſidione preſſi, ad tantam rerum omnium inopiam redacti ſunt, ut mille drachmis veniret tritici medimnus. Inops multitudo gramina circa arcem naſcentia pecudum ritu depaſcebatur, quibuſdam coctos calceos, aliaque obſcena eſculenta mandere conantibus. Ridere miſerorum civium calamitatem Ariſtion tyrannus, homo ad crudelitatem, non ad ſapientiam natus, ſacerdotique dimidium frumenti ſextarium petenti, piperis miſit. Viros præcipuæ dignitatis, & ſacerdotes ſuppliciter ab eo petentes, ut afflictæ civitatis miſereretur, pacemque ab hoſte quoquo modo impetraret, ſagittis diſſipatos ſummovit. *Sabel.lib.3.Enn.6.*

Adolphus Sueonum, & Gothorum rex, inſigni prælio navali profligatis Danis, Toſtonem transfugam, qui regi Danorum auctor movendi belli extiterat, ad ſua genua provolutum, veniamque procuratæ rebellionis ſuppliciter implorantem, ab aſtantibus cum exprobratione ingratitudinis interfici juſſit. Quòd à Gothis ſeverum exiſtimari conſuevit. Quippè ſupplicem, aut debilem, vel arma abiicientem occidere, etiam hodiè apud Gothos inter opera ſempiterno opprobrio digna computatur. *Jo. Magnus lib.4. cap.9.*

HENRICUS IV. rex Rom. à Gregorio VII. anathematis fulmine percuſſus, omnibus eum deſerentibus, coactus eſt etiam invitus Romam petere. Apud Canuſium igitur, Rhegienſis agri oppidum, rex Pontifici occurrit, depoſito omni regali habitu, nudis pedibus triduo in ſummis frigoribus veniam commiſſorum rogans, ante portam caſtri ſubſtitit humilis, Imperatrice matre, & Mathilda conſanguinea intercedentibus, ægrè, & difficulter abſolutionem anathematis aſſequutus. *Cuſpin. & Sigonius.*

Siculi

Siculi Veſpertinarum precum tempore die Paſchatis Gallos omnes interfecerant. Martinus IV. diris Siculos proſecutus eſt. A Panormitanis miſſi ad eum oratores viri ſancti, ad pedes illius ſtrati, velut pro ara, hoſtiaque Chriſtum agnum Dei ſalutantes illa etiam ex altaris myſteriis verba ſupplices effati ſunt: Qui tollis peccata mundi, miſerere noſtri, iterum: Qui tollis peccata mundi, miſerere noſtri: tertiùm: Qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem. Pontifex reſpondit, Panormitanos agere, quod milites impii feciſſent: qui cùm Chriſtum pulſarent, eundem regem Judæorum ſalutabant: re hoſtes, fando ſalvere jubentes. Quodnam piaculum, quam demum ſatisfactionem peteret, exequentibus percontando oratoribus: redditum reſponſum, redderent ſe à quibus defeciſſent: violaſſe illos non majeſtatem modò regis ipſorum Caroli, ſed ſacroſanctam poteſtatem, cujus fide Sicilia eſſet. *Æmil.l.7.*

Scurras.

Cubicularius pro more cum Joan. Baſiliade Moſchorum tyranno inter prandendum jocabatur. Ille exacerbatus, eum à menſa diſcedere juſſit. Intereà braſſicæ jus adhuc fervens affertur. Revocato cubiculario, ſeſeque ingeniculanti, pultem ferventem cervici infudit. Ille dolore urgente vociferari, Miſerere, clariſſimè Imp. Diſcedere volentem, cultello menſario in collo transfixit. Facti pœnitens, Italum doctorem medicinæ accerſiri juſſit, eique venienti aſſurgens dixit: Dilecte Arnolphe doctor, vade auxiliare aliquid huic cubiculario meo, quem ludendo læſi. Doctor egreſſus exanimatum offendit, reverſuſque dixit: Rex, & dux magne, utinam tu ſanus ſis, ille verò jam de vita ad mortem tranſlatus eſt. Deus, & tu poteras ei animam eripere, ego eam reſtituere nequeo. Adhæc ille: Valeat ergo canis, quando vivere noluit. *Alex. Guagn. in Moſc.*

Medicos.

Petrus Medices, Magni Laurentii F. Florentiæ dominatu pulſus, ad Cajetam in ipſis oſtii faucibus periit, ea quidem ignobili morte indignus, niſi Petrum Leonium, ſummæ doctrinæ, & claritatis medicum, qui infelici eventu Laurentium patrem fatis ſe erepturum promiſerat, in Caregianæ villæ puteum dejeciſſet. *Jovius in Conſalvo.*

Tonſores.

Matthias Corvinus tonſori ſuo, quòd is miniſtris Aragonii Cardinalis legati poſteriores veſtium partes per jocum mutilaverat, labra, ac naſum deſecuit: ut qui in maleficio riſerat, ſemper exertis dentibus, etiam cùm fleret, ridere videretur. *Fulg.l.6.c.4.*

Architectos, Fabros.

Amaſis Ægyptiorum rex admirabile ædificium adduxit in urbem Saim ex ſolido ſaxo ab urbe Elephantina: in quo afferendo triennium conſumpſerunt duo millia delectorum virorum, qui omnes erant gubernatores. Domus hæc ad ingreſſum templi Minervæ collocata eſt. Et ob id ajunt in templum non fuiſſe pertractam, quòd tecto advecto, cùm ſuſpiraſſet ejus vehendi architectus, utpotè pertæſus diutino tempore operæ, ea de re ſtomachatus Amaſis, non permiſerit hominem ulterius trahere. *Herod.*

Cùm Xerxes Perſarum rex, pontis ſuprà Helleſpontum ſeptem ſtadiorum conficiendi curam Phœnicibus, & Ægyptiis commiſiſſet, quorum illi quidem albo lino, hi ſcripto utebantur: tempeſtas maxima pontem diſiecit. Xerxes ergo architectos capite mulctavit, & aliis hoc opus demandavit. *Herod.l.7.*

BAJAZETES II Imperator Turcarum inſtruendæ claſſis contra Venetos curam cum magnoperè agitaret, reficique naves veteres ſuis ducibus mandaviſſet, atque id ei tardius, negligentiuſque agi ab illis, atque adminiſtrari videretur: arcum ſibi afferri, & ſagittas imperavit: quibus adductis, ſtantem ante ſe illum ipſum ducem, qui priore apud ſe erat loco, indignabundus transfixit. *Bemb.l.6.Hiſt.Venetæ.*

PATECATIRUS Malacenſis princeps, ob perfidiam Malaca pulſus, ex certa munitione Luſitanos infeſtabat. Quam cùm illi expugnaſſent, ligneum truncum magna craſſitudine, recenti ſanguine conſperſum aſpiciunt. Is enim, qui tormento maximo, quod Camelum vocabant, præerat, & à Patecatiro cum reliquis in ſervitutem abductus fuerat, juſſus erat illud in Andradium dirigere: ſed ne tantum in ſe ſcelus admitteret, mortem oppetere maluit, quàm Chriſti numen offendere. Ea re Patecatirus graviter offenſus, illi caput in eodem trunco ſecuri præcidi confeſtim imperavit. *Oſor.l.9. rerum Emm.*

CRUDELES ERGA

Pontifices, Patriarchas, Epiſcopos.

Calojoannes, Conſtantinopolitanus Imper. Cùm fruſtrà Syriam, Gabulenſi epiſcopo firmiter reſiſtente, armis ſibi ſubiicere tentaſſet: in miſeros eremitas Syrios ex cavernis ſuis extractos omnem effudit bilem, eos magna immanitate trucidans, ſub annum 1143. ut refert *Otho Frigenſis libro 7. cap.28.*

Græci, Joan. Cardinalis ab Alexandro III. Pp. Conſtantinopolim miſſi, ut Græcorum Eccleſiam, ſic petente Manuele Imperatore, Romanæ ſubiicerent, cadaver, canis cauda ejus oris inſerta per plateas traxere, tandemque igni combuſsere. *Sigeberti continuator ſub an. 1182.*

RAINALDUS de Caſtellione, princeps Antiochenus, Patriarcham Antiochenum nuptias Rainaldi cum Conſtantia, Raimundi principis vidua, improbantem, captum, carcere incluſit, deinde calvitie ejus melle peruncta, æſtivo tempore per integrum diem ſub ſole ferventiſſimo ſedere coegit, nemine vel contra æſtum, vel muſcarum moleſtias quidquam ſubſidii præſtante. *Gul. Tyrius l.18. c.2. de Sacro bello.*

Magdeburgenſis archiepiſcopus Burchardus, ex comitibus de Schrapelovu, annis 19. præfuit Eccleſiæ, ſollicitè providens ne quid detrimenti caperet res Eccleſiaſtica: ſimul etiam procurans, ut temporalia non deficerent. Qua in re contrarios ſemper habuit cives Magdeburgenſes, quòd novas impoſitiones conſtitueret, cenſibus, tributis, & oneribus prægravatis. Obſederat urbem, armis fretus Miſnenſium. A civibus captus ut laxaretur, venerabili adhibito ſacramento, pollicitus eſt, ſe ad antiqua redacturum omnia, demolitis, quæ in præjudicium civitati erexiſſet. Vi coactus nihil promiſſorum implevit, perſeveranſque inſectatus eſt cives. Re ad arbitros delegata venit in urbem, Cives ſua jura repoſcunt, demoliri, quæ in eos erexiſſet præſidia. Cùm non tam benignè, uti ſperaverant, reſpondiſſet, circumſeſſus à civibus domi ſuæ, atque captus, diro carceri mancipatur. Ibi cùm diù latuiſſet, Sicarii quidam larvati ex Magdeburgo, Hallis, Calven, ingreſſi carcerem, vinctum archiepiſcopum clavis, quas gerebant, confecere. Integro anno ita mactatum contabuit corpus. Interim diſſeminato rumore de morte ejus, admiſſi quidam in carcerem, nulla penè repererunt veſtigia Archiepiſcopi, præter capitis raſuram. Eo nomine Magdeburgenſes execrabiles habiti ipſi quin etiam Canonici, qui ſcelus tam frigidè inſectati eſſent. Otho Haſſiæ Landgravii F. Archiepiſcopatum à Papa conſecutus eſt. Cujus interceſſione, preſſi undique armis, & flammis Magdeburgenſes, in gratiam recepti ſunt, ea lege, ut ſacellum è carcere, in quo cæſus erat archiepiſcopus, extruerent cum ſex beneficiis. *Crantz.l.9. Metrop.c.4. & 14.*

ARNOLDUS, per ſimoniam occupato epiſcopatu Moguntino dejecto Henrico, impetrataque à Friderico Barbaroſſa Imp. inveſtitura, ſublata è templo veſte conſecrata, inde ſibi ad pompam, quando in aula Imperatoris verſaretur, veſtes conſui curabat. Hanc inſolentiam cives iniquo ferre animo, Arnoldus creſcente inteſtino diſſidio, aſperè, & tyrannicè in cives Moguntinos effertur, canes eos vocans, qui parum mordere valerent, licèt plurimùm latrarent. Ejuſmodi vocibus cives inflammati, in Arnoldum conſpirant. Cùm Binga reverſurus eſſet Moguntiam, divertit in monaſterium ad S. Jacobum, propè civitatis muros in Monte ſpecioſo. Cives ad campanæ ſonum ſummo diluculo diei poſterioris, qui Joanni Baptiſtæ dicatus erat, agminatim convolant, armati cingunt monaſterium, ne elaberetur, ignem ſimul iniiciunt. Monachi fuga ſalutem quærunt. Arnoldus flammis, & fumo undique circundatus, in altam turrim aſcendit, proſpicienſque de feneſtra, alta voce rogat, ut deſiſtant, deprecari culpam, polliceri, ſe omnibus ſatisfacturum. Sed furens turba conſpecto epiſcopo, magis ſævire pergit. Cernens autem monachis liberè patere effugium, ipſe quoque cucullo abitionem molitur. Apertis itaque Eccleſiæ valuis, cum reliquis penè evaſerat: ſed agnitus, gladiis, haſtis, contis transfoditur. Nec ſatiari furor potuit. Annulos, & ornamenta è manibus, & collo detrahunt. Sepulturam quoque ei integro triduo prohibent, ut omnium ludibrio, etiam mulieribus dentes ipſi ſaxo elidentibus, pateret. Clàm à canonicis S. Mariæ ſubtractus, in Eccleſia ſepelitur, anno 1160. *Conrad. in Chronic. Moguntiac.*

ENGEL-

Engelbertus Archiepiſcopus Colonienſis à Comite Juliacenſe, cujus agrum depopulabatur, captus, in turri quadam per quadriennium cuſtoditus, ad illius nutum in caveam ferream, in turris exedra poſitam, egredi cogebatur, ſi quando Comes hoſpitibus avem hanc peregrinam, in ſolo proprio vocaliſſimam, in hoſtico pluſquam mutam, per ludibrium oſtendere vellet. Sed Comitem hunc Aquiſgranenſes non multò pòſt circa an. MCCLXXII. in foro trucidavere. *Munſterus in Coſmographia.*

Turcæ expugnato Hydrunto Epiſcopum feruntur vivum excoriaſſe, clerum omnem equorum pedibus conculcaſſe, juvenes, & puellas abduxiſſe, an. 1480. *Crantz. l. 13. Vand. c. 19.*

Cùm Galli Neapolim obſidentes, & fame, & peſtilenti lue graviter afflicti, valetudinis ergò in vicina oppida deſerta obſidione ſecedere cogerentur: Cæſaris Caroli V. milites urbe egreſſi multum detrimenti Gallis inferebant. Sajavedra natione Bæticus equitum præfectus, recepta in prædæ ſocietatem peditum cohorte, uſque Avelinum nocturna profectione contendit, improviſoque in oppidum irrumpens, oppidanoſque diripiens, Maternianum Inſubrem ejus urbis epiſcopum cepit, captivumque Neapolim perducens, ad contumeliam divulſis teſtibus, ut majorem à captivo pecuniam exprimeret, diù torſit, vixque poſteà Aurantii Cæſariani exercitus Imperator clementia, & Alphonſi Vaſtii precibus, è manibus impiis Sajavedræ ereptus eſt. *Jov. lib. 26. Hiſt.*

Haalon Metonis Tartarorum regis frater, Perſide ſubacta Baldachum Meſopotamiæ urbem (Babylon olim dictam, à Semiramide conditam) cepit. Adiicit Aytonus, ſedem in ea fuiſſe Caliphæ, qui Mahometanæ legis ſummo fungebatur magiſterio. Urbs exciſa eſt, non ſexus, non ætatis diſcrimen ullum habitum, omnis multitudo ferro dedita, immenſum pondus auri, gazaque varia Caliphæ ſtudio congeſta, regem, & exercitum ditavit. Hic cavillabundus Haalon Victor: Æquum eſt, inquit, tam quæſtuoſum hominem cibis veſci non niſi precioſiſſimis. Ite & Calipham in mediis auri, gemmarumque acervis ſtatuite, his veſcatur epulis, has illi affatim ad omnia ventris deſideria miniſtrate. Ille ita plures dies aſſervatus, in media divitiarum affluentia fame conſumptus eſt. *Sab. lib. 7. Enn. 9.*

Sacerdotes.

Alexius Comenus tyrannus, Georgium Diſypatum magni templi Lectorem, de Andronici ſævitia liberiùs conqueſtum in carcerem conjectum, verubus transfixum, inſtar porcelli ſuprà carbones aſſare voluit, niſi Monaſteriota Leo ſocer ejus tyranni furorem auctoritate ſua repreſſiſſet. *Nicetas lib. 1.*

Venceslaus Imperator ignaviſſimus ſæpiùs in lupanari, quã in adulterio deprehenſus eſt. Ab ea turpitudine cùm Joanna Hollandiæ comitiſſa uxor eum dehortaretur, reſpondit: Se quoque in lupanar illam detruſurum, niſi ab hac dehortatione ſuperſederet. Ac paulò pòſt accerſivit Joannem ſacerdotem, qui Reginæ confeſſionibus præerat, arcana reginæ ab eo expiſcaturus. Sed voto ſuo fruſtratus, Joannem de ponte Pragenſi deiici, ac ſubmergi juſſit. Fluvius derepentè arefactus, corpus detexit ſubmerſi, in ſtatuque illo triduum permanſit, donec ad S. Vitum ſepeliretur, ubi in hunc diem quicumque ſepulcro temerè inſultaverit, immunis ab infamia non evadit. Regina ex mœſtitia, & dolore obiit, quem ex iniquiſſima regis ſuſpicione conceperat. *Dubrav. lib. 23.*

Ruſſi, antequam à Romano Lacapeno Imperator debellarentur, captivos ſacerdotes clavis in capite adactis necare ſolebant. *Cedren.*

Fridericus II. Imperator contra Gregorium IX. bello ſuſcepto, Roma obſeſſa, multos ſacerdotes captos cruce vertici inciſa exanimavit. *Crantz. l. 8. Saxon. c. 9.*

Huſſitæ Lubanam urbem Luſatiæ expugnaverant, an. 1427. Paſtor Eccleſiæ de eminentiori loco hortabatur cives, ut pro Chriſti honore fortiter decertarent, pollicitus regnum iis, qui ab hæreticis interficerentur. Illi captum quatuor equis, in diverſum actis crudeliſſimè interemerunt. Clerus omnis in Eccleſiam ſe recipiens, implorans auxilium, Salve regina ſonoris vocibus decantabat. Inter agendum adſunt cruentis hoſtes gladiis: raptos pueros diſſecant medios, confodiunt ſacerdotes, profanant templa, cadaveribus, cruore replent omnia: incendunt Eccleſias, ſubvertunt monaſteria, monachos, & ſacerdotes trucidant. Anus, feminæ, virgines ſacræ obruuntur, puellæ, & juniores feminæ ad libidinem reſervantur. *Crantz. lib. 11. Vand. c. 9.*

Monachos.

Bilidulfus monachus Bobienſis ab Attala abbate Papiam miſſus, fortè in Arioaldum regem Longobardorum Arianum incidit. Quo conſpecto, rex ad ſuos converſus dixit; Hic de Columbanis monachis eſt, qui Arianis ſalutantibus abnuunt reſpondere. Inde jocabundus ſalvere monachum juſſit. Cui monachus: Grata mihi ſalutatio tua eſſet, niſi tu ſeductoribus tuis, nefariis de Chriſto Deo doctrinis aſſentires, verùm ineffabilem in una Deitate unitatem aſſereres. Quæ cùm audiſſet rex indignatione accenſus: Bone Deus, inquit, cur miniſtrum non habeo, per quem intemperantem hujus monachi procacitatem ulciſcar? Cui unus è ſtipatoribus: Atqui ego ſummo ſtudio præſtabo operam, inquit. Et annuente rege primis tenebris monachum ab amico ſe recipientem, ſolus ſolum adeptus, vulneribus multis affecit. Haud ita multò pòſt amicus vicem monachi ſub noctem domum repetentis ſollicitus venit, &, cùm eum humi jacentem reperiſſet, perinde, ac ſi ſopore oppreſſus eſſet, excuſſit. Quo motu monachus gravi quaſi è ſomno excitatus, ſurrexit incolumis, & cum familiari ad monaſterium reverſus, ſe à latronibus pro mortuo relictum, tamen innoxium evaſiſſe narravit. Qui verò, tanti patrator facinoris fuerat, mox à dæmone correptus, ultrò ſuum flagitium prodidit. Quare palàm facta vox in populo increbuit, talem exitum manere omnes, qui aut monachis Bobienſibus nocuiſſent, aut Arianis hæreticis ſtuduiſſent. Arioaldus autem de ſalute ſua ſolicitus, abbatem Attalam adiit, ac percuſſore tradito, ut ignoſceret, poſtulavit: ſeque in auctoritate ejus futurum, ſi munera ſua recepiſſet, oſtendit. Quæ aſpernatus Attala, monachis tamen, ut pro ſalute ſcelerati hominis ſupplicarent, admonitis, ipſum priſtinæ ſanitati reſtituit. *Sigon. lib. 2. regni Italici.*

☞ *Vide Titulum de Hæreticis.*

Legatos.

☞ *Vide Titulum Perfidiæ erga Legatos.*

Apries rex Ægyptiorum, crudelis fuit in Patarbemen legatum ſuum re infecta redeuntem. Audiens enim Apries, ob acceptam cladem, exercitum ſuum à ſe defeciſſe, ejuſque loco Amaſim in regem elegiſſe, quem ipſe ad ſedandos milites ablegaverat: hunc Patarbemen ad comprehendendum Amaſim dimiſerat. Is ubi eo pervenit, Amaſim ad ſe vocat. Amaſis juſſit viciſſim hunc adducere Apriem. Et cum Patarbemis eum rogaret, ut regem adiret, reſpondiſſetque Amaſis, ſe jamdudum dare operam, ut id ageret, nec de ſeipſo Apriem eſſe queſturum: Patarbemi redeunti, quòd Amaſim non adduceret, præcidi aures, naſumque juſſit. *Herod. l. 2.*

Cùm C. Mario, lege Sulpitia, provincia Aſia, ut adversùs Mithridatem bellum gereret, privato decreta eſſet, miſſum ab eo Gratidium legatum ad L. Syllam conſulem accipiendarum legionum cauſa Milites trucidarunt: proculdubio indignati, quòd à ſummo imperio, ad eum, qui nullo in honore verſaretur, tranſire cogerentur. *Valerius Maximus lib. 9. cap. 7.*

Stephanus, Valachiæ tyrannus, filium Maniaci Tartarorum ducis captum cùm per c. legatos à patre minaciter peteretur, præſentibus legatis diſſecari, & mox ipſos quoque legatos palis ſuffigi juſſit, uno excepto, quem truncato naſo, & auribus, nuncium rei geſtæ ad Maniacum remiſit. *Cromer. lib. 27.*

Dracula Tranſylvaniæ Deſpotes, Turcarum legatis, cùm in conſpectu ſuo caput nudare prætextu patrii moris renuerent, clavo cidarim capiti affigi juſſit. Id quod à Baſilio quoque Moſchorum tyranno Tartarorum legatis factum traditur.

Henricus, Rigenſis archiepiſcopus, conſilio procerum, legatum miſit circa annum MCCCCXXIIX. Romam decanum Revalienſem cum aliquot de ſingulis Eccleſiis collegis, queſtum injurias fratrum Teutonicorum, quibus in ordinem redigerentur. Illis Rigenſis Tarbarenſiſque proconſules, filios ſuos, vel Romanæ curiæ viſendæ, vel ſtudiorum cauſa junxere. Sedecim numero profecti terreſtri itinere ad initium quadrageſimæ (quòd mare tardiùs ſit per glaciem navigabile) jumentis vecti Grebbin, ad exitum uſque Livoniæ, pervenerunt. Ibi ab arcis præfecto Goſuvino de Aſchenberge ordinis Teutonicorum fratre, crudeliter invaduntur. Primùm ademptis literis, perlectiſque, terræ proditores vocantur: & quicquid ab illis in purgationem diceretur de privilegiis clericorum, præſertim Romipetarum, irridetur magis, quàm auditur. Mox rebus omnibus nudati, ligatis manibus, pedibuſque in profluentem rivum (Liva vocant) ſub glacie nudi merguntur. Idem ille carnifex ſcripſit Livonienſium pontificibus factum ſuum, ne cuiquam alteri imputaretur. *Crantz. lib. 11. Vand. cap. 16.*

Conſiliarios.

Henricus VIII. Anglorum rex (qui edito libro Martini Lutheri placita oppugnaverat, quare & fidei Catholicæ defenſoris titulo à Leone X. ornatus eſt) iratus Clementi VII. quòd repudium legitimæ uxoris Catharinæ Aragoniæ, Cæſaris Caroli V. materteræ, ſancire noluerat, quam ſuperinducta Anna Bolena, cujus amore flagrabat, ab ſe divellere xx. matrimonii anno tentaverat: Joannem Cardinalem Roffenſem, virum ſanctiſſimum, & doctiſſimum, & Thomam Morum regni Cancellarium, & primarium regni ſui hominem, alioſque multos omnium hominum præſtantiſſimos viros, ſententiæ ejus adverſantes, nefariè occidit. *Onuphrius Panvinius.*

Ductores.

Annibal ſuperato Apennino, ex agro Arpinati in Bannium venit: pauloque pòſt quibuſdam Campanis, quos ad Thraſimenum captos liberaliter dimiſerat, afferentibus ſpem Capuæ potiundæ, caſtra movit, petito quodam regionis admonito, ut in agrum Caſinatem exercitum duceret. Similitudine nominis Caſilinum dux itineris pro Baſino accipiens, longè diverſa via per Calentinum, & Calenum agrum in campum Stellatem Annibalem traxit. Ubi cùm ſepta undique montibus, & fluminibus regione teneretur: cognito errore, Pœnus hominem crudeliter excruciatum necari juſſit. *Auctor. vitæ ejus.*

Duces.

Isaacius Angelus Imperator in iram pronus, Conſtantinum Aſpletam, ob exercitum, cui bello Blachico præerat, his verbis defenſum: Non poſſe milites cum duobus graviſſimis hoſtibus Blachis, & fame dimicare, ſed annua ſtipendia eis perſolvenda eſſe: ſtatim dignitate privari, & excæcari juſſit, quòd illum per ſpeciem defenſionis concitare milites ſuſpicabatur. *Nicetas lib. 3.*

Janitores.

Intaphernes, unus ex iis, qui Magos interfecerant, ſtatim poſt oppreſſos Magos regiam ingreſſus, volebat admitti ad colloquium regis. Etenim hac lege conventum erat inter Magi oppreſſores, ut eis ad regem foret aditus ſine internuncio, niſi cubaret cum uxore. Sed cùm janitor, & qui à reſponſis erat, introire non ſinerent, quòd regem dicerent rei uxoriæ dare operam: eos mentiri ratus, educto acinace, aures utrique, nareſque præcidit, ac loro freni equini ad cervices ipſorum alligavit, hominesque dimiſit. *Herod. lib. 2.*

Ætatem. Erga

Pueros.

☞ *Vide Tit. Crudelitatis erga Hoſtium liberos.*

Dum Pueri aliquot in vico Arcadiæ Condylea dicto ſignum Dianæ Condyleatidis obligato collo per luſum trahentes, Dianam ſe ſtrangulare dictitaſſent: Caphyenſes eos deprehenſos, violati numinis damnatos, lapidibus obruerunt. *Pauſ. in Arcadicis.*

Olympias, Philippo Macedonum rege marito ſuo mortuo, parvulum ejus filium, quem ex Cleopatra, Attali nepte ex fratre ſuſceperat, in ænea pelvi ignibus circundatis cruciatum enecavit. *Idem.*

Justinianus II. Cherſonenſes, & Boſphoranos, à quibus exul appetitus inſidiis fuerat, ulciſci geſtiens, exercitum ad eos miſit, & Cherſonem expugnari, ac mira crudelitate omnes ejus incolas interimi juſſit. Quo facto pueros, à quibus temperatum injuſſu ſuo fuerat, ad ſe mitti imperavit: ac ſe Ponticos internecino bello perſecuturum oſtendit. Pueri Octobri menſe in naves impoſiti, omnes ſæva oborta tempeſtate ſubmerſi ſunt. Quod poſtquam Cherſones, qui reliqui fuerant, unà cum Boſphoranis cognoverunt, Philippicum Bardanem apud ſe exulantem ducem ſibi legerunt, ac vicinis populis adjunctis eum Imperatorem adversùs Juſtinianum appellaverunt. *Sig. lib. 2. regni Ital.*

Valetudinem.

Tiberius L. Scribonium Libonem, patricium adoleſcentem tentatarum novarum rerum inſimulatum, quamdiù is firma fuit valetudine, non vocavit in jus: at morbo lethali correptum, in lectica operta, cujuſmodi Senatorum uxoribus in uſu ſunt, in Senatum inferri juſſit. Cùmque is dilato judicio ſibi ipſi conſcita morte damnationem prævertiſſet, etiam defunctum reum peregit, ejuſque pecuniam accuſatoribus dedit. *Dion. lib. 57.*

Sexum. Erga

Viduas.

Magdonaldus Roſſenſis prædo, viduæ de injuria ſibi illata conquerenti, & ad regem ſe queſtum ituram minitanti, ut pedibus adderet alas, ferreas ſoleas equorum in morem plantis ſuffigendas curavit. Strangulatus non multò pòſt à Jacobo I. Scotorum rege. *H. Boet. lib. 17.*

Gloriam. Erga Viros

Claros.

☞ *Ex Tit. Sævitiæ erga hoſtes, huc quædam.*

Phytone Rheginorum duce capto, filium ejus Dionyſius tyrannus Siculus in mare ſubmerſit: ipſum verò, primum quidem ad altiſſimas machinas, quaſi tragicum ſpectaculum exhibiturus, collocavit, & miniſtris quendam, qui ei nunciaret, ad eum miſit, filium ejus à Dionyſio heri marinis undis ſubmerſum fuiſſe. Ad quam vocem intrepidè Phyto reſpondit: Fuit igitur natus uno die patre ſuo fortunatior. Poſteà verò per urbem circumductum flagris cædi, & nulla non contumelia affici juſſit, ſimul comitante præcone, qui exclamaret: Virum hunc meritò puniri, qui bellum ſuſcipere multitudini perſuaſiſſet. At Phyto, qui & in obſidione dux bonus fuiſſet, & reliqua vita laudatus, animo, & voce intrepida clamabat, ſe quòd urbem Dionyſio prodere noluiſſet, pœnas nunc luere quas tamen brevi repetiturus à Dionyſio Deus eſſet. Quin viri fortitudinem etiam Dionyſii milites admirantes, adeòque ejus miſerti, reprehendere, & execrari tyranni crudelitatem cœperunt. Ergo veritus, ne milites Phytonem ſibi ereptum liberarent, mari quoque eum unà cum univerſa ejus cognatione ſubmerſit. *Diod. lib. 14.*

Philopœmen Megalopolitan. Cranſidis F. pro Achæis multa fortiter in bello geſſit. Verùm equo in prælio lapſo corruens, ab inimicis captus, à Dinocrate Meſſenio (cujus opera Meſſenii rebellaverant) veneno in cuſtodia ſublatus eſt. *Plut. in ejus vita.*

Opulentiam. Erga

Medicos.

Oracula Tranſylvanus, medicos omnes, deperditæ ignaviæ, miſerabiliſque valetudinis, & fortunæ, lautiſſimo convivio excepit: deinde cibo vinoque repletos, iniecto igne abſumpſit. *Bonfin. lib. 10. Dec. 3.*

Libertatem. Erga

Captivos, Vinctos.

☞ *Ex Titulo, Crudelitatis erga hoſtes vivos, huc quædam. Ut enim in hoſtem, dum vincitur, iræ juſtior eſt locus, ſic contra eundem jam victum ſævire, ab humanitate magis videtur alienum.*

Sennacherib Aſſyriæ rex, maxima clade in Hieroſolymorum oppugnatione divinitùs affectus: Ninivem reverſus, Iſraelitarum plurimos, quos captivos Salmanaſſar rex jam pridem abduxerat, interfecit. *Tob. 1.*

Septuaginta reges, amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus, colligebant reliquias ſub menſa regis Adonizebec. Cui reddidit Deus, ſicut fecit. *Jud. 1.*

Naas rex Ammonitarum, quotcunque Iſraelitarum, vel fide data, vel vi bellica cepiſſet, iis dextrum oculum eruebat: ut ſcilicet oculum ſiniſtrum ſcutis celantes dextro omninò carentes, ad bella inutiles redderentur. Victus eſt tandem à Saule rege ingenti ſtrage. 1. *Regum 11. & Joſephus Antiq. lib. 6. cap. 5.*

Ταινάριον κακὸν, id eſt, Tænarum malum, ſi quid crudeliùs ſævitum eſſet in famulos, veteres vocabant: propterea, quòd olim Lacedæmonii captivos, qui in Tænarum confugerant, reductos, capitis affecerunt ſupplicio. Eſt autem loco Tænarus oppidum quoddam Laconiæ, cujus incolæ Tænaritæ

tæ vocantur, & ejuſdem regionis promontorium, in quo ſpelunca, per quam aditus erat ad inferos. *Eraſm. in Adag.*

Corcyrenſium plebs bello Peloponneſiaco optimates Spartanis addictos expulerat. Exules occupato monte Hiſtone, oppidanos crebris excurſionibus infeſtantes, ab Athenienſium claſſe ex improviſo occupati, in Ptychiam inſulam deducti, cùm inde fugam molirentur, Corcyrenſibus tanquam pacti violatores traditi fuerunt. Ædificio quodam incluſi, ad inimicorum libitum ſub cuſtodia non ſinguli, ſed deni, vicenive, ad ſupplicium educti, cum multa exprobratione fœdè trucidati ſunt, præter paucos, qui vel cruoris ſatietate, vel quia non tanta invidia, ut cæteri, eminebant, ſine cuſtodia intus relicti, ædificium, priuſquam animadverteret quiſquam, interiore parte occluſerunt: inde Athenienſium fidem fruſtra implorantes, in ſe majora adhuc multitudinis odia irritarunt: tum conſcenſo ab iis, qui ad eorum miſſi erant, cuſtodiæ faſtigio, tegulis, atque aliis omni fariam telis ſupernè dejectis, velut ruina quadam obruti ſunt. Eorum quidam ne vivi caperentur, ſpicula, & ſagittas in ſe miſſas jugulo admoverunt. Alii reſtibus, quas ex ſuis veſtibus fecerant, ſuſpendio mortem præoccuparunt. *Sabellic. lib.6. & 7. Ennead.3.*

Dinocrates, & Meſſeniorum locupletiſſimi, Philopœmenem ducem fortiſſimum Achæorum, jam ſeptuagenarium, in bello captum, repugnante plebe, veneno peremerunt. *Pauſanias in Arcadicis.*

Athenienſibus Cherſoneſum oppugnantibus, Perſæ noctu cum Artaycle, & Oebazaro ducibus fugam capeſſunt. Ubi dies illuxit, Cherſoneſitæ è turribus rem Athenienſibus indicant, portaſque patefaciunt: Oebazarum in Thraciam fuga delatum, Abſynthii Pleſtoro indigenæ Deo ritu ſuo immolarunt. Artaycles cum filio ſuper Ægos fluenta captus, Seſton eſt retractus, ubi circa Helleſpontum, qua Xerxes ponte copias trajecerat, filio ante oculos lapidibus obruto, ipſum Xantippus dux Athenienſium tribus tigillis humi defixis ſuſpendit. *Sabellic. lib.2. Enneadis 3. Herod. lib.9.* qui Oebazum vocat.

Philistus ex Japygia ſuppetias Dionyſio à Dione Syracuſis obſeſſo venit. Pugna navali victum Philiſtum, Ephorus ait dum navis ejus capitur, ſibimet ipſum manus intuliſſe. Timonides verò tradit, Philiſtum impacta in terram navi vivum in poteſtatem veniſſe: ac primùm exuiſſe Syracuſanos eum thorace, denudatoque illuſiſſe jam ſeni, inde caput demiſiſſe, & corpus pueris tradidiſſe, ut per Acradinam traherent id, & præcipitarent in Latomias. Timæus ex claudo, ait pueros Philiſti cadaver religatum per urbem rapuiſſe, irridentibus iis, qui contemplabantur crure trahi ab Syracuſanis eum: qui non debere dixerat ex tyrannide Dionyſium citato fugere equo, ſed crure raptum. Quamvis Philiſtus id, ut ab alio dictum non ab ſe ad Dionyſium, vulgaverit. *Plut. in Dione.*

Capta ab Alexandro Gaza, ſævitum eſt non minùs quàm Tyri in captam multitudinem, cæſaque Perſarum, & Arabum circiter viginti millia. Bœtis, qui urbi præerat (Joſephus Abiſnaſim vocat) ingentem circa ſe edidit hominum ſtragem, vivuſque è media cæde abſtractus, contumaci vultu, ad conſpectum irati regis conſtitit. Offendit ea conſtantia victoris animum, ut juſta ira in rabiem exierit. Trajecto itaque per talos loro, curru alligatum citatis equis crudeliter per urbem diſtraxit. Achillis exemplum, à quo prognatus eſſet, imitari ſe dictitans. *Sabell. lib.6. Enn. 4.*

Carthaginenſes, milites Romanos, martis certamine in ſuam poteſtatem redactos, navibus ſubſtraverunt: ut earum carinis, ac pondere eliſi, inuſitata ratione mortis barbaram feritatem ſatiarent, tetro facinore pollutis claſſibus ipſum mare violaturi. *Val. Max. lib.9. cap.2.*

Hannibal Romanos captivos, oneribus, & itinere feſſos, prima pedum parte ſucciſa relinquebat: quos verò in caſtra perduxerat, paria fratrum, & propinquorum jungens, ferro decernere cogebat: neque antè ſanguine explebatur, quàm ad unum victorem omnes redegiſſet. *Valerius Maximus lib.9. cap.2.*

Haſdrubal, Carthagine obſeſſus à Scipione, cujus urbis partem Megaram Romani milites occuparant, productis in hoſtium conſpectum ex arce Byrſa omnibus Romanis captivis, partim eorum effodit oculos, quibuſdam linguam, nervoſque deſecuit: multis genitalia hamata ferramento divellere nixus eſt, nonnullis ex pedum planta cutem abraſit, aliquos penitùs excoriavit, atque ita affectos ab urbis muris laqueo ſuſpendit. Quòd feciſſe creditur, ut omnem ſpem veniæ Carthaginenſibus præriperet, cogeretque ad extremum deſperatione certare. Quo fœdiſſimo ſævitiæ exemplo ingens eſt odium ipſi duci à ſuis popularibus conflatum, & Carthaginenſes ad pugnam timidiores facti, ne pari ſupplicio Romani capti afficerentur. Haſdrubal ubi ſe ſuorum odiis flagrare ſenſit, ſenatorum ferociſſimum quemque, in eam ſævitiam reclamare auſum, interfecit: per quæ, velut tyrannus ſuper alia mala civitati ortus, formidoloſus erat ſuis. *Sab. lib.5. Ennead.5. & Suidas.*

L. Caſſius cum legatis, & ſociis regibus, ad Amneon fluvium ingenti prælio à Mithridate victus eſt. Oppius à Leodicenſibus Mithridati traditus, ignominiosè cum lictore, qui præcedebat, per hoſtium caſtra eſt circumductus. Mannius Attilius legatus, conflati belli cauſa, aſino vinctus ſedens circumvectus, præcedente tibicine, inde liquefactum aurum ejus faucibus infudit rex, avaritiam Romanis exprobrans. Hac victoria Mithridates elatus, non ſolum Bithyniam, Bithyniæque adjacentes terras, ſed Phrygiam, Pamphyliam, & cæteras gentes ad Joniam uſque armis ſubiecit. *Idem lib.3. Enneadis 6.*

M. Fabio Ambuſto, & T. Quintio Coſſ. Tarquinienſes acie victi, quotquot vivi capti ſunt, præter 358. nobiles, qui Romam miſſi ſunt, cæteri ad unum trucidati. Nec mitior propterea factus eſt populus in eos, quibus armatus miles pepercerat, in foro virgis cæſi, ad unum ſecuri ſunt percuſſi. Idque pro Romanis in Tarquinienſium foro immolatis, eſt pœnæ hoſtibus repenſum. *Idem Env.*

Inter alia, quæ contra Chriſtianos Licinius Imperator crudeliter edixit, illud truculentiſſimum fuit, ne qui illis, qui in cuſtodias conjecti eſſent, humanitatis, aut officii quicquam exhiberent: nec miſericordiæ quicquam, ſi in famis periculum incidiſſent, impenderent: ſupplicium interminatus, quo, qui miſericordiam præſtitiſſent, perinde punirentur, atque ii quibus eam declaraſſent: vinculiſque, & carceribus incluſi, pari ſupplicio cum afflictis afficerentur, qui aliquid humanitatis, aut relevationis in eos conferre deprehenſi eſſent. *Socrates lib.1. cap.4. & Sozomenus lib.1. cap. 7.*

Sub Anaſtaſio Geta Macedoniam, Theſſaliam, Epirum diripiunt, multoſque abegerunt captivos. Pro quibus redimendis cùm aurum mitteret Imperator, & pecuniam haud idoneam hoſtium votis: Barbari captivos aut in domibus ſuffocarunt, aut pro mœnibus in conſpectu multitudinis trucidarunt. *Cuſp.*

Valerianus Imperator haud multò pòſt, quàm Chriſtianum nomen inſectari eſt adortus, ad Perſicum bellum profectus, ſive aliena fraude id acciderit, ſive ſua ipſius temeritate (nam utrumque traditur) in hoſtium poteſtatem vivus venit. Ferunt, ſaporem Perſarum regem, à quo captus eſt, adeò inſolenter, & barbarè captivo ſeni (erat enim Valerianus ſeptuagenarius) illuſiſſe, ut pro ſcabello ejus tergo uteretur equum conſcenſurus. In ea igitur cum turpi captivitate tandem conſenuiſſe, ſcribunt *Lætus, & Aurelius Victor. Euſebius in Sermone ad conventum ſanctorum, & Agathius lib.4. Gothorum*, excoriatum, & ſale conditum à rege ſcripſit.

Cosrores regnum Mauritii Imp. ope recuperavit, Perſarum ſex millia cepit, eoſque ad ſe ductos confodi juſſit. In quorum numero & Turcæ erant, qui ſub Bara meruerant. Nam tum primùm nomen Turcicum auditum eſt. *Cuſp.*

Ibancus, qui ab Alexio Angelo, Byzantino Imp. defecerat, ad eam progreſſus eſt immanitatem, ut in compotationibus captivos Græcos membratim diſſecaret. *Nicetas lib. 3. de imperio Angeli Alexii.*

Avares, ſive Hunni, ductu Cacani regis capto, & everſo oppido Forojulii, cùm Longobardos captos in ſuos fines traherent, pollicebatur ſe captivos in Pannoniæ finibus patriis collocaturos, nam ex Pannonia Longobardi venerant. Ubi verò in campum, quem Sacrum appellant, ventum, eſt (eum enim locum futuræ cædi deſtinaverant) continuò omnes dato ſigno trucidarunt. *Sabell. lib.4. de Vetuſt. Aquil. ex Palmerio, Sigeberto anno 216. Paulo Diacono, Blondo lib.9. Decadis 1. Sig. lib.2. regni Italici.*

Basilius II. Imperator præclara victoria contra Samuelem Bulgarorum regem potitus eſt. Captivi 15. millia adducti omnes excæcati ſunt, uno è ſingulis centuriis relicto monoculo, qui reliquos duceret: dehinc omnes juſſit ad propria

pria

pria reverti. Quos cùm Samuel vidiſſet, animo deficiens, humi procidit. Paululùm pòſt ad ſe reverſus, ſtomachi dolore correptus obiit tertio die, fœdo ſpectaculo conſternatus, unico relicto filio Gabriele, qui & Romanus dicebatur. *Cuſpin. è Zonara.*

Bello, quod Gulielmus Siciliæ rex Iſaacio Angelo Imperatori Græcorum anno 1175. fecit, ultrà quatuor millia Siculorum in carceres ſunt incluſa: quibus cùm nihil ab Imperatore Iſaacio, aut aliunde ſuppeditaretur præter panem, qui pietatis ergò à nonnullis ſubminiſtrabatur, malè perierunt. *Nicetas lib.1.*

Genselicus rex Vandalorum, direpta Roma, prædam in naves impoſitam in Africam deportavit. Quarum quæ ſtatuas devehebat, adverſa tempeſtate vexata interiit: reliquæ incolumes portus Africæ tenuerunt. Cùm autem opes infinitas, ac populum ingentem in Africam devexiſſet, prædam inter Vandalos, & Mauros, Victore teſte, ita diviſit, ut maritos ab uxoribus liberos à parentibus ad cumulandam miſeræ captivitatis acerbitatem magna inclementia ſepararet. Quod ubi Deogratias Carthaginis Epiſcopus, paulò ante precibus Valentiniani creari ab eo permiſſus, audivit, vehementi dolore ſolicitatus, vaſa ſacra emenda, ingenuos redimendos, parentibus liberos, viris uxores reſtituendas curavit: atque eis baſilicas duas Fauſti, & varii cum lectulis, & ſtramentis, ad cubandum attribuit: ægrotiſque, quæ neceſſaria erant, miniſtravit, medicis, cibiſque, ac medicamentis opportunis exhibitis. Verùm & hæc ſubſidia poſt biennii ſpacium Epiſcopi mors immatura ſubduxit. *Sig. lib.14. Imp. occid.*

Chajanus, vel Cacanus rex Avarum, Hunnorum, & Sclavinorum, irruit cum magno exercitu in Dalmatiam. Mauricii Imp. dux Priſcus exercitum ejus cæcidit. Fugit Chajanus ad propria, & alium exercitum colligit, quo inſtructus in Myſiam irruit. Tandem Conſtantinopolim adeò preſſit, ut Byzantini de relinquenda Europa cogitarent. Multis autem Romanis captis, & urbibus depopulatis, iram divinam metuens, quæ ipſi uno die ſeptem filios peſte abſtulerat, de redimendis captivis cum Mauricio agit, & pro ſingulis unum nummulum tantùm poſcit. Verùm Mauricius ſubiratus noluit quicquam ſolvere. Tunc Chajanus omnes occidit, & ad propria rediit. *Paul. Diacon. lib.17. ſub Mauricio.*

Agilulfus, Longobardorum rex, fruſtra obſeſſa Roma, pactis induciis abiit, & captivos Romanos ſecum abducens quaſi canes funibus collo implicitis traxit, atque inde in Franciam vendendi cauſa tranſmiſit. *Sig. lib.1.*

Tartari captivos quoſdam ſibi ſervire cogunt, cæteros Turcis, aliiſque negotiatoribus vendunt, virginibus reſervatis. Senes autem, & infirmos juvenibus, velut canibus lepores, exponunt, quò prima militiæ tyrocinia inde addiſcant. Eos itaque illi, aut ſagittis veluti ſcopum petunt, vel obtruncant, decollant, lapidibus obruunt, in aquaſque præcipitant. *Guagnin. in deſcript. Tartariæ.*

Angli fugato Ivaro, Danorum regis Regneri, multis victoriis etiam contra Carolum Magnum clariſſ. F. in Hellam Hamæ à Regnero olim cæſi filium regis contulerant poteſtatem. Regnerus Hellam, Gallicana virtute ſubnixum, poſt extractam in triduum pugnam fugavit. Pòſt verò Hybernorum ſubnixum auxiliis, prælio navali adortus, comprehenſus, atque in carcere ſerpentibus objectus eſt. Cujus adeſo jecinore, cùm cor ipſum funeſti carnificis loco coluber obſideret, omnem operum ſuorum curſum animoſa voce recenſuit, ſuperiori rerum contextui, hanc adiiciens clauſulam: Si ſuculæ veris ſupplicium ſciſſent, haud dubiè irruptis haris afflictum abſolvere properarent. Quo dicta Hella adhuc nonnullos filiorum ejus vivere interpretatus, quieſcere carnifices, amoverique viperas juſſit. Sed priuſquam ſatellites ſubveniſſent, extinctus eſt, & bellica, & civili virtute clariſſ. Sed hanc immanitatem Regneri filii ſeveriſſimè ſunt ulti, quandoquidem bello captum ferociſſimæ aquilæ roſtro, & unguibus laniandum poſuere. *Saxo. lib.9.*

Sobieslaus II. Friderici à Friderico I. Imper. ſibi in regno Boemiæ ſubſtituti triplices copias mira felicitate ſuperaverat. Captus in pugna eſt Germanus Tribunus militum, vir ſtatu corporis ſuper cæteros eminens, eoque procerior viſus, quòd equo prægrandi, & cataphracto, ipſe cataphractus inſidebat. Hic cùm ad Sobieslaum perductus eſſet, in medio caſtrorum eum ſtatui, & circum tumulum aggeſta manibus militum terra erigi, totumque cum equo adobrui juſſit, acceptam à Cæſare injuriam, hac nova calumnia cum crudelitate conjuncta ſe ulciſci jactans. Extat in hanc diem tumultus ita in plano ibi ſitus, ut congeſtitius, non autem à natura factus eſſe videatur. *Dubr. lib.13.*

Anno 1469. in Valachia opportunitate locorum utentibus Valachis cum Stephano Palatino, profligati Tartari ter retroceſſerunt, filio ducis ſui Maniaci amiſſo. Quem captum, dùm ad patrem minaci legatione repeteretur, Stephanus præſentibus centum legatis diſſecari, & mox ipſos quoque legatos palis ſuffigi juſſit, uno excepto, quem truncato naſo, & auribus, nuncium rei geſtæ ad Maniacum remiſit. *Crom. lib.27.*

Boemi duce Ciapcone Polonis contra Cruciferos ſuppetias tulere. Derſavia expugnata, & multis hoſtium captis; ex his quicumque Boemici generis fuerunt, Ciapco revertens, ut ſibi condonaretur, impetravit, traditos, graviter, quòd Teutonibus contra Polonos ejuſdem ſecum linguæ, & originis militarent, corripuit, pyraque ingenti extructa exuſſit. Ejus exemplum ſecutus Joannes Straſſus Bialaciovius, piratas ſeu nauticos homines in ergaſtulo concluſos, quorum non exiguus numerus inter præſidia Cruciferorum fuit, circumjecta palea, & arida materia, ſuccendit. Et effregerunt ii quidem ergaſtulum ligneum: ſed cùm effugere vellent, adverſis haſtis à Polonis excipiebantur: donec Michalovius ſuperveniens cædem eorum repreſſit, ignemque reſtrinxit. *Idem libro 20.*

Dracula Tranſylvanus, Turcis ſæpè captivis cute pedes exuiſſe, contuſoque ſale præfricuiſſe, mox lingentes ſalſis plantis capras adhibuiſſe, quæ linguæ aſperitate cruciatum augerent, perhibetur. *Bonfin. lib.10. Dec.3.*

Bello Liguſtico IV. Venetis captivis, qui Genuæ erant, ita malignè victus ab hoſte ſuppeditabatur, ut pauciſſimis diebus ad 350. inedia expirarint, quorum corpora in mare ſævus hoſtis projecit. Fuerunt qui crederent venenum eis datum; quo cibariis mixto, uno tempore quamplurimi extincti eſſent. *Sab. lib.7. Dec.2.*

Bajazetes, anno 1498. menſe Octobri, Schenderum Baſſam cum 10. millibus equitum in Forumjulium miſit, atque ea loca excurſionibus infeſtari mandavit. Schenderus licèt aliquantulum infirmus eſſet, Tiliaventum tamen, ac Liſontiũ læta flumina vadavit, ac inſtar fulguris celeriter in Tarviſinum uſque agrum populabundus proceſſit. Sed enim, cùm eos omnes, quos captivarat, abducere ſecum non valeret: in Tiliaventi ripa caput hominibus plus quater mille amputare juſſit. Nec Veneti Proviſores, quos vocant, Turcas unquam invadere auſi ſunt: id quod in cauſa fuit, ut ipſi Turcæ liberè, quà libebat, vagantes Venetiis adeò propinqui effecti ſunt, ut è montibus eminentioribus urbis ſitum contemplari potuerint. *Jovius in vita Bajazetis II. & Guicciardinus lib.4.*

Chriſtiani Latini Antiochiam Syriæ metropolim oppugnabant. Sed cùm in caſtra confluerent Græci, Cappadoces, Armenii, Syri, & aliæ gentes noſtræ religionis: Turcæ quoque, aut Turcicarum rerum ſtudioſi, periti linguarum earum, inſtitutorumque, mutato cultu caſtra ſimul ingrediebantur, conſiliaque Latinorum explorata perferebant ad ſuos: ut nihil jam arcanum foret. Cùm ea de re duces conſilium haberent, cenſerentque aliqui conſtituendum eſſe ſanctius, ac magis arcanum paucorum delectiſſimorumque concilium: Boemundus Tarentinorum dux: Ego, inquit, vos hac cura levabo, proripienſque è cœtu procerum, produci juſſit, quos Turcarum captivos in cuſtodiam tradiderat: hos pro caſtris propalam jugulatos verubus figi, & ſubiectis prunis torreri juſſit, mirabundiſque omnibus clara voce dici: Id eſſe Boemundi obſonium, pœnaſque de ſpeculatoribus, exploratoribuſque ſumptas. *Æmil. lib.4.*

Cæſis, captiſque ad Budam Chriſtianis, Solymannus Imperator Turcarum, rex alioqui clementiæ laudem quærens, & nunquam anteà in noſtros crudelior, è conſpectu abductos captivos ſuprà octingentos tyronibus trucidandos dedit, truci nutu, & ſæva voce prolocutus: talem eos omninò mereri pœnam, qui cùm per legatos nequaquam ſincerè de pace agerent, aſtutè bellum intuliſſent. Eminebat inter captivos excelſæ proceritatis Noricus miles: hunc in contemptum Germanicæ gentis, pumilioni, qui erat in deliciis filiorum, capite præalta captivi genua vix adæquanti, occidendum tradidit, ita ut indignæ necis injuriam crudeli contumelia cumularet. *Jov.*

Petrus